



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Vita Et Epistolae Leonis Papae VIII. Qvi Vvlgo IX. Nominatvr.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

ANNO
CHRISTI
1049.VITA ET EPISTOLÆ
LEONIS PAPÆ VIII.
QVI VVLGO IX. NOMINATVR.

Leo, qui huius nominis vulgo IX. appellatur, ex comite Dagspurgensi, & episcopo Tullensi in Leucis, cui nomen Bruno fuerat, maximo bono totius ecclesiæ catholicæ creatus est pontifex Idibus Februarii, anno 1049. tempore Henrici imperatoriis II. Cardinales per legationem ab imperatore petiuerunt suo nomine eligi & præsentari aliquem idoneum, qui Benedictum iam tertium sedem apostolicam violenter inuadentem eiicere posset. Delegit imperator Brunonem ex nobili Francorum prosapia oriundum, Tullensium episcopum, eumque purpura pontificali indutum a se dimisit, vt coram coetu cardinalium se eligendum præsentem sisteret. Cum per Gallias iter ageret, inquit Otto Frisingensis, contigit eum Cluniacum venire, vbi forte tunc præfatus Hildebrandus prioratus (vt dicitur) obedientiam administrabat. Is vero Leonem adiens Ab Hildebrando quare redargutus? æmulatione Dei plenus, constanter eum de incepto redarguit, illicitum esse inquiens per manum laicam summum pontificem ad gubernationem totius ecclesiæ violenter introire. Verum si suis se credere velit consiliis, utrumque, & quod maiestas imperialis in ipso non exacerbetur, quodque libertas ecclesiæ in electione renouetur, se pollicetur effecturum. Inclinatus ille ad monitum eius purpuram deponit, peregrinique habitum assumens, & dicens secum Hildebrandum, iter carpit. Igitur ad Urbem usque venientes consilio Hildebrandi a clero & populo Bruno in summum pontificem eligitur. Ita Leo, sicut illi more apostolico præcedentibus prophetiis & visionibus ante quinquennium diuinitus reuelatum fuerat, legitimate electus est Romæ ecclesiæ pontifex optimus, meritis valde insignis, & ob vitam quam ducebat angelicam angelorum consortio dignissimus. De quo hoc memorabile refert Siebertus, quod cum ex Galliis Romam tenderet, audiuerit voces angelorum cantantium: *Dicit Dominus, Ego cogito cogitationes paris, & non afflictionis.* Vnde factum esse credo, quod simul ac consecrationem pontificiam Romæ accepisset,

Concli. Tom. 25.

Ggg

Leoni quid reuelatum?Leo audiebat cantum angelorum. Ier. 29.

nihil ibi moratus, Sipontum in Apulia ad visitandam ecclesiam sancti Michaelis in rupe Gargana sitam, & ad promerenda apud Deum suffragia sanctorum angelorum, celebrimam eius temporis peregrinationem accurrerit. Ex hac peregrinatione reuersus, monasterium Cassinense ingressus, peracto ibidem Missæ sacrificio, pro honoribus sibi exhibitis gratias egit, & monasterium simul & abbatem multis priuilegiis donauit. Tullensis ecclesiæ tantus amator extitit, ut titulum priorem Tullensis episcopatus relinquere non voluerit: patrimonium suum impendit in erectionem monasterii sanctæ Crucis, illudque amplissimis redditibus locupletauit. Rebus ecclesiæ in Italia compositis, venit in Germaniam, habitisque ibidem Conciliis pluribus, quoad mores eamdem reformauit. Cumque ex Galliis in Italiam se conferret, ex Lotharingia secum duxit Humbertum virum omni virtute & doctrina excellentissimum, eumque ad prædicandum Siculis verbum Dei archiepiscopum ordinauit, ex quo postea sanctæ Romanae ecclesiæ factus est cardinalis. Donatione abbatis monasterii sancti Remigii in Gallia suscepserat ligneum scyphum benedictionis causa oblatum, quem pro amore tanti pontificis valde obseruabat: qui cum de manu ferentis ministri casu decidisset, & fractus fuisset, valde contristatus eam ob rem pontifex iussit sibi fragmenta afferri, præmissaque oratione altera pars alteri adiuncta fuit. Presbyterum quemdam, qui per cancellarium sedis apostolicae data pecunia corruptum literas absolutonis furtim obtinere studuerat, redditis illi cum imprecatione apostolica muniberibus, dementauit. Quamdiu Romæ remoratus est, *inquit Leo Ostiensis*, omni tempore tribus per hebdomadam diebus a Lateranensi ecclesia usque ad S. Petrum priuato habitu, nudisque pedibus, cum duobus aut tribus clericis noctu psallendo & orando pergebat. Decimam partem oblationum, quas prædecessores in suum usum conuertere consueuerant, ipse utilitati basilicæ principis apostolorum cessit. Suenonem Danorum regem, cognomento Magnum, trium regnorum dominum, coegit dimittere vxorem quam duxerat consobrinam. Ad componendas dissensiones inter imperatorem & Andream Hungariæ, Roma euocatus venit in Germaniam; sed delusus a rege Hungariæ nihil effecit. Aduersus Northmannos

Res gestæ
Leonis mi-
rabilis.

Miracula
Leonis IX.
ad huc vi-
uentis.

auxilium impératoris petuit & impetravit. Cum Vvormatiā vna cum imperatore natalem Redemptoris celebra-
ret, postero die propter inobedientem diaconum aucto-
ritate apostolica suspensum ipsi cum Luitpoldo Mogun-
tino orta fuit illa controuersia, quam abbas Vrspergensis
refert; & de ea, pro suo odio quod schismaticus in Roma-
nos pontifices conceperat, male iudicauit. Eodem tempo-
re in Germania existens abbatiam Fulensem & Bambergam, sedi apostolicæ antehac donatam, pro Beneuento
aliisve ciuitatibus & iuribus in Italia ab imperatore acce-
ptis, permutauit. Cum Northmannis infelici prælio pu-
gnauit: fugato enim toto exercitu, Teutonicorum mili-
tum aliicæ si alii capti fuerunt: imo ipse pontifex in North-
mannerum manus ac potestatem venit, non sine vincen-
tium Northmannerum dolore & pœnitentia. Vnde fa-
ctum quod eidem, quamquam vietus esset, ob reueren-
tiā apostolici culminis, in omnibus tamquam victori
morem gererent, ipsumque cum suis omnibus, prout pe-
tierat, relaxarent, & honorifice in locum quem vellet tu-
tum duderent. Petrus Damiani in epistola ad Firmi-
num episcopum aduersus Leonem bella tractantem & mi-
litaribus copiis se miscentem scripsit, eumque hac de re,
quasi rem malam & ecclesiastico ordini inconuenientem
egerit, reprehendit & suggillat: sed cum hac de re aliter
vniuersa sentiat ecclesia, ignoscendum est mōrenti ere-
mitæ, qui Germanorum & Gallorum loricatos & ga-
leatos episcopos perstringens, stylum nimis laxauit, &
vt in huiusmodi affectibus frequenter accidere solet, me-
tam redargutionis excessit. Petrus patriarcha Antioche-
nus sapiens quæ sunt catholicæ fidei, simul ac creatus est
patriarcha, more maiorum, catholicæ & apostolicæ ec-
clesiæ communionem per epistolam vna cum fidei pro-
fessione ad Leonem missam expetiuit, & (vt ex reddita
Leonis epistola constat) impetravit. Post acceptam & re-
futatam impiam Michaelis Constantinopolitani patriar-
chæ epistolam, pro pace inter Latinos & Græcos concilianda,
& pro bello aduersus Northmannos conficiendo,
legationem misit Constantinopolim ad Constantimum Legatio-
Monomachum imperatorem. Fungebantur legatione nem misit
Humbertus episcopus Siluæ candidæ, Fridericus archi-
tem in orientem.

Controuer-
sia inter
Leonem &
Luitpol-
dum Mo-
guntinum
episcopum.

A North-
mannis suis
victoribus
honoratus.

Petrus Da-
miani re-
prehendens Leo-
nem bella
gerentem
redargui-
tur.

Antioche-
na ecclesia
Romanæ
conciliatur.

diaconus cancellarius, cardinales, & Petrus episcopus Amalphitanus. Rerum ab ipsis Constantinopoli gestarum commemoratio breuis & succincta extat apud Baronium, quam infra subiungimus. Antequam a legatione reuertentur, Beneuenti infirmatus in comitatu Gunfridi Northmanni olim hostis sui, Romam delatus, sancte & pie obdormiuit in Domino xiv. Kalendas Maii, postquam sedisset annos 5. menses 2. & dies 8. Sepultus in basilica sancti Petri iuxta sepulcrum sancti Gregorii, miraculis celeberrimis claruit, de quibus supra & infra in notis Concilii Rhemensis. Cessauit episcopatus menses vndecim & dies vigintiquatuor.

*Sanctus Leo
post obi-
tum mira-
culis claret.*

EPISTOLA I.
LEONIS PAPÆ IX.
AD MICHAELEM CONSTANTINOPOLITANVM
P A T R I A R C H A M.

Aduersus eius & Leonis Acridani episcoporum inauditas præsumptiones & nimias vanitates.

*Leo episcopus seruus seruorum Dei Michaeli Constantinopolitano,
& Leoni Acridano episcopis.*

I.

*Luc. 2.
Luc. 10.
1. Cor. 7.
Ephes. 2.
Matt. 5.
Isa. 52.
Rom. 10.
Heb. 12.
Rom. 12.
1. Cor. 13.*
IN terra pax hominibus bonæ voluntatis. Huiusmodi exordium docuit nos illud dominicum: *In quamcumque domum aut ciuitatem intraueritis, primum dicite: Pax huic domui: & si ibi fuerit filius pacis, requiescat super illum pax vestra: si autem, ad vos reuertetur. In pace etenim vocavit nos Deus, qui est pax nostra: qui fecit utraque unum, & veniens euangelizavit pacem his qui longe, & his qui prope erant: & inter nonnulla dicit: Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Quorum pedes deiloquuis Iñas admiratus, proclamat: Quam speciosi pedes euangelizantium pacem. Ad quam magnus Paulus contestando sic discipulos adhortatur: Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. Et: Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Et rursum: Pacem habete, & Deus dilectionis & pacis erit vobis. Nec immerito, dicente discipulis suis, imo omnibus*

Christianis ipso Domino : *Pacem relinquō vobis, pacem meam* Ioan. 14.
do vobis. Quæ vtique quam germano & vnanimi affectu, &
 indissolubilis foederis nexus retinenda sit, hinc potest colligi,
 quod eam ultimam coheredibus & comparticipibus
 suis, velut hereditario & perpetuo iure commendatam sub
 testamento, mox suo sanguine subscripto, & pia morte
 confirmato reliquit, quasi diceret : Fratres & coheredes
 mei, relinquō vobis ex patrimonio nostro sortem, tem-
 poralem videlicet pacem ; quam si integrum & inconta-
 minatam in fine mihi repræsentaueritis, meam sortem,
 pacem scilicet sempiternam, adiungo vobis. Nec his con-
 tentus, Patri æqualis, Patreque minor, pro hac ipsa Pa-
 trem sic deprecatur, ad Patrem nostrum, a quo nunquam
 discesserat, redditurus : *Pater, quos dedisti mihi, volo ut sint* Ioan. 17.
vnum, sicut & nos vnum sumus, ut sint consummati in vnum.

II.

Sed *væ mundo ab scandalis* : quia cum pene omnes pagi-
Matth. 18.
 næ diuinæ nos pariter inuitent ad bonum vnitatis & pacis,
 quatenus cor vnum & anima vna sit nobis in eo qui vna-
 nimes in domo sua, quæ est catholica ecclesia, habitare fa-
 cit ; exitere tamen haçtenus, & existunt miseri homines,
 sua, non quæ sunt Iesu Christi, quærentes, per omnia mi-
 litibus Dominum gloriae crucifigentibus nequiores. Illi
 siquidem corruptibili tunicae ipsius, quia inconsutilis
 & desuper contexta erat per totum, pepercerunt, di-
 centes : *Non scindamus eam* : quadam vtique reuerentia ad-
Ioan. 19.
 mirati & textricis diligentiam & operis elegantiam. Isti
 vero incorruptibili caritati eius, qua vniuit ecclesiam,
 vt exhiberet sibi vestem gloriosam, non habentem ma-
 culam aut rugam, impias & sacrilegas manus ad discin-
 dendum crudeliter iniiciunt, linguas magniloquas & do-
 losas ad confodiendum illam exacuant : nihil pendentes
 ineffabili & speciali artificio coæternæ Deo Patri sapien-
 tiæ compactam & contextam, nec humano ingenio, seu
 philosophorum syllogismis aut argumentationibus con-
 sutam : *Stulta enim mundi elegit Deus, ut confundat sapientes.* 1. Cor. 1.
 Neque enim per rhetores & sophistas collegit pescato-
 res, sed per pescatores & simplices pescatus est sophistas &
 oratores : quia, sicut egregius Paulus dicit, *Non est in ser-* 1. Cor. 4.
mone regnum Dei, sed in virtute.

Ggg iii

III.

De ecclesiæ
vnitatem.

Verum erubescat & confundatur impia hæresis, impudenter inhians sectioni atque diuisioni infecabilis & indiuisibilis vnitatis, reclamante & repugnante non solum ipsius vnitatis natura, sed etiam humanæ sapientiæ coniectiona. Discedant ergo perfidi corui, milui, vultures, & quæcumque laniatu vel morte aliena pascuntur aues. Sola columba ad arcam redeat, & super caput Domini Iesu manens, totum corpus eius, quod est ecclesia, vniat, infundat & repleat, vnicamque columbam de diuersæ professionis & nationis hominibus atque linguis omnibus, quasi de diuersis membris efficiat, cui voce capit is, quod est ipse Christus, dicat: *Vna est columba mea, perfecta mea, immaculata mea.* Quæ enim semper vna vocatur, & est, nunquam diuiditur aut secatur: quæ semper perfecta, hoc est plena, nunquam minuitur aut euacuatur: quæ semper immaculata, nunquam corruptitur aut maculatur: quoniam etsi nonnunquam ab ea plerique ita exeunt ut non reuertantur, non tamen eius vnitatis inde discinditur, aut perfectio minoratur, seu virginitas violatur. Quandoquidem membra coruina ad hoc reuertuntur, ut suo corpori, a quo ad tempus videbantur esse disiuncta, reincorporentur, & integerrima permaneat columba illa vnicæ, cui se incorporatos & vnitos falso gloriabantur: & quæ gemebat sub periculis in falsis fratribus, releuata illorum exitu, per os beati Ioannis apostoli libere protestatur: *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permanissent utique nobiscum.* Qui enim peccatus columba velut humores mali solebant premere, & ad nauseam iugiter prouocare, alicuius accessionis vel occasionis impulsu egressi, vel electi, aut potius egesti, comprobantur eam releuare: atque bona valetudinis statum sua discessione eidem reuocare. Quotquot autem exeunt reddituri, omnino ab ea nequeunt auelli aut praecidi: & si videntur aliquamdiu auulsi aut praecisi, quia nouit Deus qui sunt eius, per cuius prædestinationem sunt intus sine errore, etiam qui putantur foris esse & errare, nec rapit quisquam de manu ipsius, quos iam prorsus raptos suspicabamur.

IV.

Sed vñæ hominum superbia & * arrogantiæ, qui membra

* igno-
rantia;

antichristi, & præcursores eius effecti, qui est rex super vniuersos filios superbiam, non cessant zizaniorum pestes in medium tritici spargere, & messem, cui cælestè præparatur horreum, quantum in eis est, atterere. De quorum periculo tempore dilectus Domini virgo Ioannes voluit nos instruere: *Filioli, inquiens, nouissima hora est, & sicut audistis quia antichristus venit, nunc autem antichristi multi facti sunt.* Hæc nouissima hora a primo aduentu Saluatoris incepta, usque ad secundum eius aduentum est protendenda. Quæ quot antichristos iam habuerit aut detexerit, dicere quis poterit? De quibus & doctor gentium mirabilis Paulus Ephesiis in Actibus apostolorum ait: *Ego scio quoniam intrabunt post discessiōnē meā lupi graues in vos, non parcentes gregi: & ex vobisipsis exurgent viri loquentes peruersa, uti abducant discipulos post se.* Sed, o Domine Iesu, per uigil pastor, & leo de tribu Iuda, qui, secundum Psalmi stam, super aspidem & basiliscum ambulas, & conculcas leonem & draconem, iam in fine sæculorum oues pascuae tuæ variis insidiis & rabie innumerabilium loporū hætenus fessas miseranter attende, & increpa feras arundinis, quæ læuiunt, & dentibus frendunt super humilitatem ecclesiæ tuæ, fulti & protecti arundineto, id est, mundana potestate, exterius quidem nitida, sed interius vacua: ubi, sicut ad beatum Iob diuina voce dicitur, *Non solum omnes bestiæ agri ludunt, cuncta scilicet turba malignorum spirituum secundum libitum suum debacchatur: verum etiam Behemoth, eorum utique princeps, ibidem sub umbra dormit in secreto calami & locis humentibus, cum fine aliqua inquietudine vel contradictione in superborum & lubricorum cordibus requiescit securus.* Catholica vero ecclesia promissiones tuas retinens, Domine, quotidie gaudet compleri in doctoribus suis illud Sapientiæ: *Fulgunt iusti, & tamquam scintillæ in arundineto discurrent, atque vento agitatas arundines comburent.* Tunc feræ arundinis pariter interient, in quibus est congregatio taurorum, coetus videlicet hærefiarcharum, ceruicoso ducatu post se trahentium vaccas, id est lasciuas animas populorum, ut qui probati sunt argento excludantur, scilicet perfecti in eloquiis diuinis & stabiles in fide appareant, emineant vel manifestentur. Argento quippe eloquia diuina signi-

1. Ioann. 2.Aet. 10.Psal. 90.Job 40.Sap. 5.

Psal. 11.

ficantur, vt idem Psalmista testatur : *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum.* Per exclusionem autem, argentum vel aurum quodam artificio subrigitur, eleuatur, & exprimitur, vt repente videatur respersum & insignitum decenti figuraione diuersorum florum aut imaginum, quod prius humile iacebat & planum. *Quod totum breuius & clarius sic eloquitur magnus Paulus : Oportet hæreses esse, ut qui probati sunt manifesti fiant in vobis.* Sed, o maligna hæresis, non inde tibi blandiaris, quod ab Apostolo, *Oportet hæreses esse,* audieris. Etenim in sancto euangelio Dominus noster dicit : *Neceſſe eſt ut veniant scandalata : verumtamen v& homini per quem scandalum venit.* Nempe non eſt fruſtra in fornace aurificis palea : quia aurum non purgatur, si palea non vratur.

*I. Cor. 11.**Matth. 18.*

V.

Hæc & alia similia his cum pene omnes sacri eloquii paginae contra impudentem vesaniam hereticorum concrepent, vehementer obstupescimus, & lacrymis caritatis plangimus, sic edormiſſe ecclesiæ sacerdotes ; quatenus qui Dei debuerant esse adiutores, non exhorreant eorum fieri sequaces, quorum memoriam cum sonitu periisse, & ciuitates deſtructas vident. Inde eſt totum illud, quod tandem cum indicibili contritione & gemitu cordis ac corporis effundimus, in quo omnia viscera catholicæ matris concutiuntur, in quo omnes sensus Christianorum obtunduntur, in quo disciplina ecclesiastica & sanctorum vigor Canonum confunditur ac calcatur, quia tu, carissime, nobis, & adhuc dicende in Christo frater & antistes Constantinopolitane, tuque Leo Acridane, dicimini apostolicam & Latinam ecclesiam noua præſumptione, atque incredibili audacia, nec auditam nec conuictam palam damnasse, pro eo maxime, quod de azymis audeat commemorationem dominicæ passionis celebrare. Ecce incauta reprehensio vestræ, ecce non bona gloriatio vestræ, quando ponitis in cælum os vestrum, cum lingua vestræ transiens in terra humanis argumentationibus & coniecturis antiquam fidem confodere ac subuertere moliantur. Ecce, niſi quantocius resipiscatis, incorporati & anumerati, quod absit, eritis in illa cauda draconis, qua tertiam partem stellarum cæli traxit, & in terram misit.

Ecce

Ecce iam post mille ac ferme viginti a passione Saluatoris nostri annos incipit per vos discere Romana ecclesia, quater memoria passionis eiusdem sit recolenda, quasi nil ei contulerit præsentia, conuersatio & diurna institutio, seu qua clarificauit Deum, mors preciosa illius venerabilis senis, cui specialiter Christus Filius Dei viui dicit: *Beatus Matth. 16. es, Simon Bar Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui est in cælis.*

VI.

Non ergo perpenditis, quanta impudentia dicatur Pater qui est in cælis abscondisse a principe apostolorum Petro cultum siue ritum visibilis sacrificii, per dispensationem Vnigeniti sui, cui per semetipsum plenissime reuelare dignatus est illud ineffabile arcanum inuisibilis diuinitatis eiusdem Filii sui? Et cui non per angelum, nec per prophetam, sed proprio ore ipse Dominus angelorum & prophetarum sic repromittit in sequentibus: *Et ego dico tibi: Quia Matth. 16. tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam: il-*lius capiti vos satagit subtrahere Christum Iesum, præter quem nemo potest vniuersali ecclesiæ aliud ponere fundamen-tum? *Quod* vtique deuotissimus ille Petrus non so-lum viuens, sed etiam moriens demonstrauit, quando ni-mia humilitate & congrua significatione se crucifigi deor-sum verso capite petiuit: profecto diuina inspiratione præ-figurans, se esse primum & quadrum lapidem in funda-mento, quod est Christus Iesus, compaginatum, coharen-tem atque connexum, qui vtpote superpositus angulari lapidi, totum pondus ecclesiasticæ fabricæ incorruptibili soliditate sufferret, ac proprii capitum suppositione omnia membra corporis Christi per aptas & naturales compages vsque ad consummationem sæculi, quasi usque ad pedes crescentia, inflexibili collo ad cælos sustolleret.

VII.

Taliter sancta ecclesia super petram, id est Christum, & super Petrum vel Cepham filium Ioannis, qui prius Si-mon dicebatur, ædificata, quia inferi portis, disputationi-bus scilicet hereticorum, quæ vanos ad interitum intro-ducunt, nullatenus foret superanda, sic pollicetur ipsa Ve-ritas, per quam sunt vera quæcumque sunt vera: *Portæ in- Matth. 16. feri non præualebunt aduersus eam. Cuius promissionis effe-*
Concil. Tom. 25. Lyc. 22.

Hhh

Luc. 22.

Etum se precibus impetrasse a Patre idem Filius protestatur, dicendo ad Petrum: *Simon, ecce satanas expetiuit vos, ut cibraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Erit ergo quisquam tantæ dementiæ, qui orationem illius, cuius velle est posse, audeat in aliquo vacuam putare? Nonne a sede principis apostolorum, Romana videlicet ecclesia, tam per eumdem Petrum, quam per successores suos reprobata & conuicta atque expugnata sunt omnium hæreticorum commenta, & fratribus corda in fide Petri, quæ haec tenus nec defecit, nec usque in finem deficiet, sunt confirmata?

VIII.

*Hæreses
90. Græ-
corum.*

*Socrates
historia
ecclesiæ
lib.
2. cap. 22.*

*Theodore-
tus ecclesiæ
historia lib.
5. cap. 9.*

Præterimus nominatim replicare nonaginta & eo amplius hæreses ab orientis partibus, vel ab ipsis Græcis, diuerso tempore ex diuerso errore ad corrumpendam virginitatem catholicæ ecclesiæ matris emergentes: dicendum videtur ex parte, quantas Constantinopolitana ecclesia per præsules suos suscitauerit pestes, quas viriliter expugnauit, protriuit & suffocauit Romana & apostolica sedes. Ecce Eusebius Nicomediensis episcopus, sedis Constantinopolitanæ inuasor, & signifer maledicti Arii extitit. Quartus Macedonius hæresiarcha, suffocator antecessoris sui beati Pauli, blasphemator Spiritus sancti, tortor Christianorum, & usque ad mortem persecutor, & alter Julianus, charactere in frontibus notando catholicos. Hæc & alia mala tam ipse, quam sui sequaces, per omnes orientis vrbes, & maxime Constantinopoli, agebat, cum Hesperiæ partes ab hac tempestate immotæ manerent, teste vestro historiographo Socrate. Quintus Eudoxius Arianus inuasor sedis, & ordinator Eunomii hæretici, dicens Patrem ἀσελῆν, quod nullum colat; Filium ἀσελῆν, quod Patrem colat. Sextus Demophilus, & ipse Arianus. Nonnus Maximus, Cynicus & Apollinarista. Decimus Nectarius vir sanctus, ordinatus a sancta Constantinopolitana Synodo prima: de quo cum sancti patres Damaso papæ & suis coepiscopis scripsissent, dixerunt: Constantinopolitanæ vrbis nouellam, ut ita dicamus, ecclesiam velut ex ore leonis, hæreticis suffosam blasphemias, astraximus, teste Theodoreto vestro historiographo. Sed non inde omnino

suffocatus est ille veterosus basiliscus & venenosus : quia successor huius Ioannes Chrysostomus ab ingrata ecclesia bis est depositus , & in exilio defunctus. Cuius depositio-
nem non ferentes occidentales episcopi , id est Latini, ab orientalium communione sunt segregati. Huius successor Arsatius manu militari in Ioannitas defecit, in sequaces videlicet beati Ioannis. Iam quintus decimus in catalogo Nestorius hæresiarcha extitit, qui spiritu diaboli plenus,
inter alias suæ peruersitatis blasphemias , tale virus eu-
muit : Dei genitricem Mariam nullus appellat : Maria enim homo fuit, & Deum ab homine generari nimis im-
possibile est. Qui etiam duas personas in Deo Christo
mentitus est. Hinc septimusdecimus. Flauianus beatus
præful martyrio coronatus postea , quia damnauit Eu-
tychem abbatem, vnam substantiam vel naturam in Chri-
sto afferentem. Propter quod a beatissimæ memoriae do-
mino papa Leone & Marciano Christianissimo impera-
tore factum est Calchedonense Concilium sexcentorum
triginta pontificum. Quid dicemus de Acacio accusatore,
& restitutore Petri Alexandrini episcopi , per quos pluri-
ma homicidia extiterunt , nisi quod a sanctissimo Gelasio In tomo
papa in perpetuum fuere ambo damnati cum Ioanne suc- de anarhe-
cessore & defensore Acacii ? Post quos Anthimus Euty- matis vin-
chianus hæreticus per præsentem papam Agapetum in cculo epist.
ipsa Constantinopoli est depositus. Eutychius autem ,
quia dogmatizabat humanum corpus in resurrectione
impalpabile futurum, & vento aereque subtilius, a beato
Gregorio tunc diacono ita est conuictus, ut in præsentia
piæ memoriae Tiberii imperatoris codices dogmatis eius
iustis flammis traderentur.

IX.

Successit quoque huic Ioannes, cuius superbiam quam-
uis vniuersus mundus capere nequuerit , angustus tamen
cespes post non multum temporis compressit. Hic nimiæ
vanitatis nouū nomen primus sibi usurpauit, vbi se a cun-
diti oecumenicum patriarcham, id est vniuersalem , & di-
ci & scribi debere decreuit. Pro qua vtique præsumptio-
ne a beatis pontificibus Pelagio & Gregorio digna per-
culsus est excommunicatione. Cuius contagii macula ad-
huc vobis cum ipsa maledictione sic adhæsit, & nunc quo-
Concil. Tom. 25.

H h h ij

Ioannis
episcopi
Constanti-
nopolitanæ
arrogantia.

que vosipsoſ oecumenicos patriarchas & appellare & scri-
bere non timeatis. Et certe nomen iſtud a sanctis patribus
in Calchedonensi Synodo, ob reuerentiam sanctæ Romanae & apostolicæ ſedis, sanctiſſimo decessori noſtro Leoni
papæ, & præclariffimo doctori, ſuccessoribusque eius fuit
oblatum: ſed nec ab illo, nec ab ullo ſuccessorum iſius
conſtat haec tenus receptum. Et cui poſt Christum Iesum
hoc nomen magis poterat aptari, quam ſuccessoribus Pe-
tri? Sed imitanda humilitas reuerendorum pontificum
attendens quod ipſe princeps apostolorum non inuenia-
tur dictus vniuersalis apostolus, ſuperbum refutauit voca-
bulum penitus, quo videbatur par dignitas subtrahi cun-
ctis per orbem præfulibus, dum vni ex toto arrogaretur:
tamquam singuli dicerent verbiſ & factiſ, quod magiſter
eorum & primus cruciſigendus inquit: Non ſum dignus
caput ſurſum ponere, ſed declinare vultum in terram. Ve-
ſtra ergo fraternitas videat, quanta apud ſe proterua tu-
meat, quæ nec oblatum ſibi a quoquā nec confeſſum,
ſed potius denegatum, & ſub anathematis interpoſitione
ab apostolica & prima ſede & a sanctis atque orthodoxis
patribus interdictum ſuperftitioſum vocabulum, tantæ
obſtinationis contumacia per quadringentos iam a bea-
tiſſimo papa Gregorio & amplius annos uſurpare non ceſ-
ſat. Et qualiter exemplo Domini noſtri Iesu Christi & ſuo-
rum, parati eſtiſ pro fratribus animaſ ponere, qui per tot
tempora noluistiſ ſaltem inane nomen, & totius eccleſiæ
vniuatem ſua inſolentia ſcandalizans deponere? & quid
effecit in veſtris mentibus toties declamata in auribus illa
gloriosi apostoli Pauli professio, qua dicit: *Quis ſcandalizatur, & ego non uror*: qui non ſolum pro ſcandalo alio-
rum non urimini, ſed etiam ſcandalo veſtro quotidie uritis
eccleſiam Dei?

1. Cor. II.

X.

Sed ut ad reliquos decessores veſtros reuertamur, quid
de Pyrrho episcopo, imo hærefiarchæ Macarii Antioche-
ni ſequace dicetur, qui veniens Romam ſcripto anathe-
matizauit omnia quæ ipſe & decessores ſui contra fidem
catholicam & apostolicæ ſedis ſenferant? Sed quantocius
ad vomitum reuersus, a papa Theodoſio eſt damnatus, &
ſuccellor eius Paulus, quod ab eodem Romano pon-

tifice monitus & increpatus non resipuit : quando velut simulacrum aut phantasma aliquod insensibile Dominum nostrum Iesum Christum arbitratus , nec vnam, nec duas voluntates vel operationes in eodem fuisse diffiniuit, & altare Latinorum & legatorum Romanæ ecclesiæ, quod nemo hæreticorum ante eum præsumperat, subuertit. Ad cuius rabiem , quæ sœuiebat in catholicos , destruendam, sanctissimus papa Martinus, collectis centum & quinque episcopis damnauit Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum & Paulum Constantinopolitanos episcopos. In qua vtique vesania nec vos istis modo temporibus inferiores illo vestro Paulo, summam & apostolicam sedem, cunctosque institutionis eius fidissimos obseruatorum anathemate damnatis : incauta, impudenti arrogantia adeo cæcati, vt non animaduertatis quid , & qui faciatis, & cui. Illi nempe facitis præiudicium, de qua nec vobis, nec cuilibet mortaliū licet facere iudicium : beatissimo & apostolico pontifice Siluestro diuinitus decernente, spiritualique eius filio Constantino religiosissimo Augusto cum vniuersa Synodo Nicæna approbante ac subscribente, vt summa sedes a nemine iudicetur, inuiolabiliter & inconcusse sibi conseruato illo priuilegio, quod idem princeps quarto baptisma-
tis sui die deuotus contulit pontifici Romano: scilicet vt in toto orbe sacerdotes ita hunc caput habeant , sicut omnes iudices regem. Quorum semper omni mundo reuerendam sententiam, sicut veraciter diuina inspiratione promulgatam, amplexæ reliquæ vniuersales Synodi, id est Constantinopolitana prima , consensu pii Augusti & religiosi majoris Theodosii, Ephesina prima, sub iuniore Theodosio filio Arcadii , Calchedonensis, sub imperio diuæ memoriæ Marciani, tertia Constantinopolitana, rogatu & consensu iunioris Constantini , vnanimi voluntate, concordique verbo & scripto confirmauere sanctam Romanam & apostolicam sedem, post Dominum Iesum caput esse omnium ecclesiarum Dei , & hoc debere credi, confiteri & scribi ab omnibus veneratoribus Nicæni Concilii : cuius statutorum usque ad vnum iota contemptoribus districtum anathema cautum est a quinque præfatis , & cunctis sanctorum patrum Synodis subsequentibus.

De Roma-
na fede nul-
li iudicare
licet.

XI.

Sic iuxta Sapientem, lapis missus non pergit ad cœlum, & maledictum frustra prolatum, reuertitur in auctorem suum. Sic, iuxta vulgi prouerbium, qui supra caput suum spuere conatur, quantocius in faciem illius sputum relabitur. Sic nobis maledictum pro maledicto non redditibus, sed cum Psalmista aduersum nos peccatore consistente, custodiam ori nostro iam diu ponentibus, per tumorem vestrum incurristis, quod dolemus: quia præiudicium faciendo summæ sedi, de qua nec iudicium licet facere cuiquam hominum, anathema acceptistis ab vniuersis patribus omnium venerabilium Conciliorum. Quo indissolubiliter adstringemini, si cor impœnitens retinendo super tantam præsumptionem, ab illo per vicarios ipsius non soluamini, cui specialiter dixit Christus Filius Dei viui: *Quæcumque solueris super terram, erunt soluta & in cœlis.* Si conferamus vetera nouis, Balaam ille ariolus in hac parte cautior fuit vobis: qui reuerens Deum, nec promissis nec minis regis Moab ad maledicendum filiis Israel flecti potuit: *Quomodo, inquiens, maledicam cui non maledixit Deus? aut quomodo detestabor quem Dominus non detestatur?* Vos vero nec amor Dei & proximi, nec reuerentia diuinorum Canonum, aut, sicut dicitur, orthodoxorum principum vestrorum prohibito reuocat, quin publice maledicatis & detestemini genus electum, regale sacerdotium, gentemque sanctam.

XII.

Quod quamvis omnibus ecclesiis Christi, quæ vnam catholicam in toto mundo efficiunt, a principe apostolorum Petro sit vere dictum, nulli tamen verius aptatur, quam illi cui proprie præsidet ipse qui cœlestis regni meruit gubernacula obtainere, Domino Iesu Christo sibi dicente: *Tibi dabo claves regni cœlorum, & in speciali potestate ligandi & soluendi summi sacerdotii priuilegium.* At quoniam, attestante Salomone, *Cor regis in manu Domini, quocumque voluerit vertet illud,* tantum apicem cœlestis dignitatis in beato Petro & in eius vicariis prudentissimus terrenæ monarchiæ princeps Constantinus intima consideratione reueritus, cunctos usque in finem sæculi successuros eidem apostolo in Romana sede pontifices, per beatum Silue-

*Psal. 73.**Matt. 16.**Num. 23.**Matt. 16.**Prov. 21.*

strum non solum imperiali potestate & dignitate , verum etiam infulis & ministris adornauit imperialibus : valde indignum fore arbitratus terreno imperio subdi quos diuina maiestas præfecit cælesti : cui equidem comparatum istud terrenum , nihil est nisi vanitas vanitatum , qua homines obliti Domini creatoris sui , intumescentes , mox detumescunt . Et tamen imperialis celstudo hoc totum quod potuit effecit , quando tota deuotione quidquid a Domino acceperat , eidem in ministris suis reddidit . Ut enim venerabilis Paulus docet , *Non est potestas nisi a Deo : quæcumque autem sunt , a Deo ordinata sunt . Quibus in terreni regni opportuna administratione non resistendum sic instruimus per ipsum principem apostolorum : Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum : siue regi , quasi præcellenti : siue ducibus , tamquam ab eo missis , ad vindictam malefactorum , laudem vero bonorum : quia sic est voluntas Dei . Et post pauca : Deum timete , regem honorificate . Atque per coapostolum eius Paulum ; Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit . Nam qui resistit potestati , Dei ordinationi resistit . Qui autem resistunt , ipsis sibi damnationem acquirunt . Vnde Sapientia in Proverbiis intonat , dicens : Per me reges regnant , & principes iusta decernunt . Quod etiam saepè dictus Augustus Constantinus perspicacis animi viuacitate deprehendit , & matri suæ religiosa Helenæ inter nonnulla sic rescripsit : Qui moderatur sæcula , & disponit totius mundi suffragia , quibus alimur & sustentamur , per se quidem spirantia viuificat , sed per pectora principum sua iura sæculis dictat .*

XIII.

His & aliis quamplurimis testimonii iam vobis satisfactum esse debuit de terreno & cælesti imperio , imo de regali facerdotio sanctæ Romanæ & apostolicæ sedis , præcipue super speciali eius dispositione in cælis , si quoquo modo Christiani esse vel dici optatis , & si ipsam euangelii veritatem aperte , quod absit , non impugnatis . Ad cuius tonitruum quisquis non expurgiscitur , non dormit , sed omnino est mortuus , cui iam frustra ab hominibus clamabitur . Sed ne forte adhuc de terrena ipsius dominatione aliquis vobis dubietatis supersit scrupulus , neve leuiter suspicemini ineptis & anilibus fabulis sanctam Romanam sedem velle sibi inconcussum honorem vendica-

re & defensare aliquatenus, pauca ex priuilegio eiusdem Constantini manu cum cruce aurea super cælestis Clavigeri venerabile corpus posito, ad medium proferemus, quibus fundetur veritas, & confundatur vanitas: ut omnia membra catholicæ matris cognoscant nos illius Petri disciplinæ esse, qui sic in epistola sua ait de se: *Non enim doctas fabulas secuti notam vobis fecimus Domini nostri Iesu Christi virtutem, sed speculatorum facti illius magnitudinis.* Et nos vobis inculcare non tam relatu quolibet, quam quæ ipso visu & tactu comperta sunt, vel admoniti recognoscite: quia idem gloriosus princeps in iam dicto priuilegio post Christianæ fidei claram perfectamque confessionem, atque baptismatis sui enucleatam commendationem, specialem sanctæ Romanæ ecclesiæ dignitatem sic promulgauit, dicens: *Vtile iudicauimus vna cum omnibus nostris satrapis, & vniuerso senatu, optimatibus etiam & cuncto populo Romanæ gloriae imperio subiacente, vt sicut beatus Petrus in terris vicarius Filii Dei videtur esse constitutus, ita etiam & pontifices ipsius principis apostolorum vice, principatus potestatem, amplius quam terrenæ imperialis nostræ serenitatis mansuetudo habere videtur, concessam a nobis nostroque imperio obtineant, eligentes nobis ipsum principem apostolorum, vel eius vicarios firmos apud Deum esse patronos.* Et sicut nostra est terrena imperialis potentia, ita eius sacrosanctam Romanam ecclesiam decreuimus veneranter honorare, & amplius quam nostrum imperium terrenumque thronum sedem sacramissimam beati Petri gloriose exaltare: tribuentes ei potestatem & gloriæ dignitatem, atque vigorem & honorificentiam imperiale: atque decernentes sancimus, ut principatum teneat tam super quatuor sedes, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam ac Constantinopolitanam, quamque etiam super omnes in vniuerso orbe terrarum Dei ecclesias, & pontifex, qui pro tempore ipsius sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ extiterit, celsior & princeps cunctis sacerdotibus totius mundi existat: & eius iudicio quæque ad cultum Dei vel fidei Christianorum stabilitatem procuranda fuerint, disponantur. Iustum quippe est ut ibi lex sancta caput teneat principatus, ubi sanctarum legum institutor Saluator noster beatum Petrum apostolum

lum obtinere præcepit cathedralm, vbi & crucis patibulum sustinens, beatæ mortis sumpsit poculum, suique magistri & Domini imitator apparuit: & ibi gentes pro Christi nominis confessione colla flectant, vbi eorum doctor beatus Paulus apostolus pro Christo extenso collo martyrio est coronatus: & illic usque in finem quærant doctorem, vbi sanctorum doctorum quiescunt corpora: & ibi proni ac humo prostrati cælestis regis Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi famulentur officio, vbi superbi terreni regis seruiebant imperio. Et succincte commemorato suo studio & deuotione in construendis aliquot sanctorum basilicis, & imperialium donationum magnificentia abundantanter ditatis, ait: Concedimus ipsis sanctis apostolis dominis meis beatissimis Petro & Paulo, & per hos etiam beato Siluestro patri nostro, summo pontifici, & uniuersali vrbis Romæ papæ, & omnibus eius successoribus pontificibus, qui usque in finem mundi in sede beati Petri erunt sessuri, atque de praesenti contradimus palatum imperii nostri Lateranense, quod omnibus in toto orbe terrarum præfertur atque præcellit palatiis. Deinde diadema, videlicet coronam capitis nostri, simulque phrygium, nec non & superhumerales, videlicet lorum quod imperiale circumdare assolet collum: verum etiam & chlamydem purpuream, atque tunicam coccineam, & omnia imperialia indumenta, sed & dignitatem imperialium præsidientium equitum: conferentes ei etiam imperialia sceptræ, simulque cuncta signa atque banda, etiam & diuersa ornamenta imperialia, & omnem processionem imperialis culminis, & gloriam potestatis nostræ. Viros etiam reuerendissimos clericos diuersi ordinis, eidem sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ seruientes, illud culmen singulæris potentia & præcellentia habere sancimus, cuius amplissimus noster senatus videtur gloria adornari, id est patricios atque consules effici, nec non & ceteris dignitatibus imperialibus eos promulgamus decorari. Et sicut imperialis extat decorata militia, ita & clerum sanctæ Romanæ ecclesiæ ornari decernimus. Et quemadmodum imperialis potentia diuersis officiis, cubiculariorum nempe, & ostiariorum, atque omnium excubitorum ornatur, ita & sanctam Romanam ecclesiam decorari volumus.

Concil. Tom. 25.

Iii

Et vt amplissime pontificale decus præfulgeat, decernimus & hoc, vt clerici eiusdem sanctæ Romanæ ecclesiæ mappulis & linteaminibus, id est candidissimo colore decoratos equos equitent: & sicut noster senatus calceamentis vtitur cum vdonibus, id est candido linteamine illustratis, sic vtitur & clerici, & ita cælestia sicut terrena ad laudem Dei decorentur. Præ omnibus autem licentiam tribuentes, concedimus ipsi sanctissimo patri nostro Siluestro urbis Romæ episcopo & papæ, & omnibus qui post eum in successu, & perpetuis temporibus aduenient beatissimis pontificibus, pro honore & gloria Christi Dei nostri in eadem magna Dei catholica & apostolica ecclesia ex nostro iudicio, quem placatus proprio consilio clericare voluerit, & in numero religiosorum clericorum connumerare, nullum ex omnibus præsumenter superbe agere.

XIV.

Decreuiimus itaque & hoc, vt idem venerabilis pater noster Silvester summus pontifex, vel omnes ei succedentes pontifices, diadematæ (videlicet corona quam ex capite nostro illi concessimus) ex auro purissimo & gemmis preciosis vti debeat, & in capite ad laudem Dei pro honore beati Petri gestare. Ipse vero beatissimus papa super coronam clericatus, quam gerit ad gloriam beati Petri, omnino ipsa ex auro non est passus vti corona: phrygium autem candido nitore, splendidam resurrectionem dominicam designans, eius sacratissimo vertici manibus nostris imposuimus, & tenentes frenum equi ipsius, pro reuerentia beati Petri, stratoris illi officium exhibuimus, statuentes eodem phrygio omnes successores eius singulatiter vti in processionibus, ad imitationem imperii nostri. Vnde vt pontificalis apex non vilescat, sed magis quam terreni imperii dignitas & gloriæ potentia decoretur, ecce tam palatum nostrum, vt prælatum est, quam Romanam urbem, & omnes Italiae seu occidentalium regionum prouincias, loca & ciuitates, saepato beatissimo pontifici & patri nostro Silvestro vniuersali papæ contradentes atque relinquentes, ei vel successoribus ipsius pontificibus potestatem & ditionem firmam imperiali censura per hanc nostram diualem iussionem & pragmati-

cum constitutum decernimus disponenda , atque iuri san-
 ctæ Romanæ ecclesiæ concedimus permansura. Vnde
 congruum prospeximus nostrum imperium & regni pote-
 statem orientalibus transferri ac transmutari regionibus,
 & in Byzantia prouincia optimo loco nomini nostro ci-
 uitatem ædificari, & nostrum illic constitui imperiū : quo-
 niam vbi principatus sacerdotum & Christianæ religionis
 caput ab Imperatore cælesti constitutum est , iustum non
 est ut illic terrenus imperator habeat potestatem. Hæc ve-
 ro omnia, quæ per hanc imperiale sacram, & per alia di-
 ualia decreta statuimus atque confirmaimus, vsque in fi-
 nem mundi illibata & inconcussa permansura decerni-
 mus. Deinde facta obtestatione coram Deo viuo , & terri-
 bili eius iudicio , & imprecatione æternæ condemnationis
 temeratori vel contemptori ipsius sui priuilegii , secutus
 idem venerabilis Constantinus, ait : Huius vero imperialis
 nostri decreti paginam propriis manibus roborantes, super
 venerandum corpus beati Petri principis apostolorum po-
 suimus, ibique eidem Dei apostolo spondentes nos cun-
 ctæ inuiolabili conseruare, & nostris successoribus im-
 peratoribus conseruanda in mandatis relinquere , patri
 nostro Siluestro summo pontifici & vniuersali papæ , &
 per eum cunctis successoribus eius pontificibus, Domino
 Deo & saluatore nostro Iesu Christo annuente , tradimus
 feliciter atque perenniter possidenda.

X V.

Tot ergo & talibus aliisque quamplurimis testimoniis
 subnixa non erubescit veritas , sed confutatur impudens
 vanitas. At nos hinc habentes testimonium maius Con-
 stantino ; *Qui, vt ait beatus euangelista Ioannes, de terra est,*
de terra loquitur, vix ab homine testimonium accipimus,
contenti testimonio illius qui de cælo venit, & super om-
nnes est, & dicit : Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo
ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.
Et tibi dabo claves regni cælorum. Et quodcumque ligaueris su-
per terram, erit ligatum & in cælis : & quodcumque solueris
super terram, erit solutum & in cælis. Qui etiam in catalo-
go apostolorum instar cardinis ab ipso Domino Iesu Chri-
sto primus positus Petrus, id est, Cephas extat cognomi-
natus. Cui specialiter & nominatim non tantum ante pa-

Concil. Tom. 25.

Iii ij

sionem suam, verum & in ipsius articulo passionis, mox ut
sui corporis & sanguinis mirabile mysterium agendum
generaliter discipulis tradidit, tam oues se pastorum pa-
store percutso dispergendas, quam & usque in finem sae-
culi ad unum ouile & ad se unum pastorem colligendas com-
mendando, ait: *Simon, Simon, ecce satanas expetiuit vos, ut cri-
braret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, ut non deficiat fides
tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.*

*Luc. 22.**Matth. 16.**Luc. 24.**1. Cor. 15.*

*Ipsum quoque angelus per mulieres ad videndam resurgentis Magi-
stri gloriam nomine inuitauit, cum dixit: Dicite discipulis
eius, & Petro, quia surrexit: & ecce præcedet vos in Galilæam;
ibi eum videbitis. Nec non eidem ipsa die resurrectionis suæ,
pius & verax Magister apparuit, quemadmodum venera-
bilis euangelista Lucas nos instruit, dicens: *Quia surrexit
Dominus vere, & apparuit Simoni. Quam manifestationem
soli Petro prius, deinde illi cum reliquis condiscipulis fa-
ctam, gloriosus coapostolus eius Paulus declarat, ubi ad
Corinthios sic scribit: Quia surrexit Christus tertia die se-
cundum scripturas: & quia visus est Cephæ; & post hæc un-
decim.**

XVI.

Instante quoque iam suæ assumptionis gloria, ubi pran-
debat cum septem discipulis suis, Dominus amorem Petri
erga se tertio inquisiuit, & tertio confitenti, agnos & oues
suas tertio pascere præcepit: pro quibus qua morte clarifi-
caturus esset Deum, in extensione manuum illius & præ-
cinctione futura, eidem significauit. Qui nec mora, assum-
pto Domino, in medio centum & viginti fratum exur-
gens, & profundos sanctissimi Psalmistæ sensus edifferens,
auctoritate sua apostolicum numerum, sorte annumera-
to Matthia, suppleuit, quem vndenarium remanere nefas
credidit. Quibus etiam pariter misso Spiritu sancto in va-
riis linguis, cum quidam stuperent admiratione, quidam
deridentes inueterata cæcitatem, dicerent musto plenos esse,
Petrus uno sancti Ioelis testimonio & ignaros instruxit, &
incredulos destruxit. Deinde constanter improperata illis
scelerata sua conspiratione aduersus Dominum & Chri-
stum eius, qua ipsum auctorem vitæ morte turpissima tunc
condemnantes interfecerant, clarissimis beati David ora-
culis adstruxit illius sanctam resurrectionem, & gloriosam

Ioel. 1.

ascensionem , & ab eo impræsentiarum factam Spiritus sancti effusionem. Ita compunctis Iudæis, primus apostolorum reis sanguinis Christi poenitentiam indixit , & eorum protinus tria millia baptizauit.

XVII.

Hic solus, sicut doctiloquus euangelista Lucas testatur, dum qui dispersi fuerant pro persecutione facta sub Stephano , circuirent ciuitates , nemini loquentes verbum vitæ , nisi solis Iudæis , orans in coenaculo , factus est in excessu mentis : & linteum omnibus terra quadrupedibus , & reptilibus , volucribusque cœli refertum , quatuor initii submitti de cœlo vidit , sibique cœlitus dictum tertio : *Surge, Petre, occide & manduca:* & tertio ab ^{Act. 10.} eo responsum : *Quia commune & immundum nunquam introiuit os meum:* & tertio superna voce repetitum : *Quod Deus mundavit tu ne commune dixeris:* sufficienter instrutus , a quatuor mundi partibus gentes quondam immundas in unitatem fidei congregandas , sicque fide mundatis eorum conscientiis ab operibus mortuis , & occisa in eis pristina immunditia , cui seruire membra sua exhibuerant , Christo delectabiliter inuiscerandas : tribus nuntiis in mysterio Trinitatis se inuitantibus , immanem aprum illum de silua gentium , Cornelium Centurionem aggressus non reluctantem occidit & comedit , quando aqua & Spiritu mundatum ecclesiam indidit . Cui coadunatis ipsius domesticis & amicis , dum adhuc loqueretur , Spiritus sanctus cecidit super omnes qui audiebant verbum : & erant loquentes linguis , & magnificantes Deum. *Quod nulli Iudeorum, nec ipsis apostolis, ipsis legitur consensum,* vt Paracleti tantam plenitudinem acciperent prius quam baptismum . Nonne hinc iam luce clarius constat , Petrum primitus ad ædificationem ecclesiae Christi Iudeos & Gentiles attraxisse , & quasi duos parietes ex diuerso venientes , per angularem lapidem Christum indissolubili caritatis glutine coniunxisse ? Qui postea videns messem multam , & operarios paucos , Paulum & Barnabam ab Antiochia prædicatores omnibus nationibus destinauit : quibus strenue officio insudantibus dexteram societas dedit , vt illi quidem in gentibus , ipse vero in circumcisione esset , sicut in epistola ad Galatas ostenditur

Iii iij

evidenter. Neque tamen partito in eos onere, subtraxit se
cœptæ vocationi gentium & curæ : quam post Asiam ab
Illyrico sentit tota Europa & Africa, præcipueque mundi
caput & domina gentium Roma. Nam cum quidam pseu-
doapostoli turbassent corda fratrum, dicentes eos debere
circumcidiri secundum legem Mosis ; Paulusque & Barna-
bas Hierosolymam iissent, super hac quæstione consultu-
ri, solus Petrus sua auctoritate circumcisionis onus atque
veteris legis iugum a ceruicibus discipulorum remouit, &
gratiam euangelii ad plenam salutem credentium suffice-
re censuit, dicens : *Quare vultis imponere graue iugum super
cernices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos por-
tare potuimus ? sed per gratiam Domini Iesu Christi credimus
saluari, quemadmodum & illi. Vatum est enim Spiritui sancto
& nobis, nihil oneris ultra vobis imponere. Qua vtique respon-
sione confirmatus docttor gentium Paulus, Galatis prote-
statur : Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.*

XVIII.

Sed & illud in ipso Petro nihilo minus est animaduer-
tendum, quod sui corporis umbra infirmis conferebat
optatae sospitatis remedium. *Quod nulli sanctorum con-
stat haec tenus concessum : nec ille, per quem Petrus po-
tuit quidquid boni potuit, ex suo sanctissimo corpore
aliquando cuiquam tale donum attribuit sanctus sancto-
rum, sed suo Petro specialiter in magna significatione
præsentis & futuræ ecclesiæ hoc reseruauit priuilegium :*
scilicet quia ipse utriusque principalis rector existeret,
utriusque statum in seipso portenderet, quatenus hæc vi-
sibilium & transituorum sacramentorum secreta virtute,
quasi umbra sua, morbis animarum in terra curatis, illam
nobis adhuc inuisibilem veritatis & beatitudinis solidam
speciem, velut solidum corpus, exhibeat in cælis. Qua-
rum differentiam breuiter Apostolus demonstrat : *Vide-
mus nunc, inquiens, per speculum in ænigmate, tunc autem facie
ad faciem. Nunc cognosco ex parte : tunc autem cognoscam, sicut
& cognitus sum. Cui concordans Ioannes coapostolus suus
ait : *Carissimi, filii Dei sumus, & nondum apparuit quid eri-
mus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus : quo-
niam videbimus eum sicuti est. Quod vero præsens ecclesia
fide & spe saluatur, Paulus sic loquitur : Sine fide impossibile**

*1. Cor. 13.**1. Ioan. 3.**Heb. 11.*

est placere Deo. Fides autem est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. Idem in alio loco: Spe salui Rom. 8. facti sumus, spes autem quæ videtur, non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Sic modo credendo, & sperando, atque per patientiam expectando quod non videmus, fide & spe a peccatis liberati videmus quia iustus ex fide viuit. In futuro plenam beatitudinem in re videbimus & possidebimus, qua per caritatem solam sine fastidio satiabitur, cum apparuerit gloria eius.

XIX.

Verum vestra insolentia, nihili pendens talia, specialibus Christi ouibus claudere & interdicere non timet, in quibus temporaliter ad laudem Dei recubabant ouilia, quas ipse non cessat inuitare & introducere ad sempiternæ vitæ pascua: quas tantum ex omnibus sibi compatientes in Crucis vltima pœna iam positus attendens, pro eisdem animam ponendo, cum gratiarum actione & piissima prece in ipsa emissione sui beati Spiritus Domino commendauit, dicens: Gratias tibi ago, Pastor bone, quia oues, quas tradidisti mihi, compatiuntur mihi. Peto ergo ut participant mecum de gratia tua in sempiternum. Ergo præualebit illis portas vitæ obserare vel obstruere errorum clauiculis seu sophismatum tendiculis quilibet inimicus, quas potestate, meritis & prece referat & pandit tantus amicus, cui portæ inferi non præualebunt aliquatenus, in cælis terrisque præpotens ex vltimo desiderio animæ suæ, & voluntate labiorum suorum a Domino, ad quem mox ibat, erit fraudatus? Absit.

XX.

Quapropter a tanta amentia iam resipiscite, & Latinos vere catholicos, atque maximi Petri familiarios discipulos, institutionisque eius deuotiores sectatores cesse subfannando azymitas vocare, aut ecclesias illis denegare, seu tormenta, sicut coepistis, inferre, si vultis nunc & semper pacem & portionem cum Petro habere. Cuius doctrinam & traditionem in epistola ad Romanos, sapientibus & insipientibus debitor ille gentium doctor, ad tertium cælum, & in paradisum raptus, sic per omnia commendat, dicens: *Primum quidam gratias ago Deo meo per Ie-Rom. 1. sum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur*

in vniuerso mundo. Ex cuius capituli occasione beatus & catholicus doct̄or Augustinus, in Latinaque lingua clarissimus, atque noster Chrysostomus ait: Fides ista, quam Romani habent, ipsa eademque est, & non alia, quæ in vniuerso mundo annuntiatur & creditur: quæ non solum in terra, sed & in cælis prædicatur: quia Iesus pacificauit per sanguinem suum non solum terrestria & inferna, sed & cælestia: & hoc est in vniuerso mundo fidem prædicari, per quam omnis mundus sit subditus Deo. Sed Paulum audite subsequentem: Desidero videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos. Qui ne putaretur velle aliquid institutioni Petri addere, vel demere, exposuit quid dixerit ad confirmandos vos, id est simul consolari in vobis per eam, quæ inuicem est, fidem vestram atque meam. Et in fine epistolæ monens eos deuitare falsos fratres, & præter doctrinam quam ipsi acceperant euntes, ait: Rogo vos, fratres, ut obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis. Huiuscmodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri: & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium. Vestra enim obedientia in omni loco diuulgata est. Gaudeo igitur in vobis.

X XI.

Ecce in totius epistolæ serie non inuenitur magnus Paulus fidem Latinorum correxisse, nec vitia redarguisse: sed congratulatus fidei & conuersationi eorum, de perseuerantia commonuisse: cum non solum propter reprobam actionem, sed & ob ipsius fidei citissimum naufragium in Græcos fuerit inuectus acerrime ab initio vsque in finem primæ ad Corinthios epistolæ. Quod certe liquet in paucis verbis, vbi ait: Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filii eius Iesu Christi Domini nostri. Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem scientia. Significatum est enim mibi de vobis, fratres mei, ab his qui sunt Chloes, quod contentiones sint inter vos. Hoc autem dico, quod unusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephae, ego autem Christi. Diuisus est Christus? Et vbi notauit eos ex arrogancia falsæ & mundanæ sapientiæ, subiunxit: Iam saturati estis,

Rom. 1.

*Rom. 16.
Hæretici &
schismatici
vitandi.*

*1. Cor. 1.**1. Cor. 4.*

estis, iam diuites facti estis: sine nobis regnatis: & utinam regnare-
tis, ut & nos vobiscum regnaremus. Et inflationi eorum mina-
tus virgam ait: Omnino auditur inter vos fornicatio: & talis
1. Cor. 5.
fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris habeat
quidam. Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, ut
tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit. Quibus expletis,
admonuit eos secum epulari, non in fermento veteri,
quod totam massam corruptit, sed in azymis sinceritatis
& veritatis.

XXII.

Igitur istis & huiusmodi apostolicis sanctorumque pa-
trum dictis cum euidenter approbetur Latinorum fin-
cera obedientia, & plurimorum Græcorum improbetur
corrupta insolentia, sunt adhuc plura his super hoc par-
ti nostræ fauentia: quæ si liceret ad medium deducere,
non solum excederent modum epistolæ, verum etiam
possent armaria onerare. Quapropter, his omissis, carita-
tive monemus, ne absentes fitis vobisipſis: sed vos ante
vos constituatis, vias prædecessorum vestrorum & ve-
stras solicite consideretis, nec nos priuato amore palpetis,
& in fratrum oculis festucam explorantes, in vestris tra-
bem non videatis. Recordamini illius nefandæ Synodi,
quam voluerunt vocari septimam vestri hæresiarchæ:
quorum conspiratione ipsius Domini nostri Iesu Christi
& sanctorum reuerendæ imagines aut flammis traditæ,
aut aquis sunt immersæ, piæturæ vero ex parietibus basili-
carum deletæ. Quibus quamuis semper restiterit Roma-
norum pontificum auctoritas, præ cunctis tamen sanctissimi
papæ Nicolai vbius laudanda libertas; qui per lega-
tos suos tam pro sacris imaginibus, quam pro depositione
beati antistitis Ignatii, & substitutione Photii neophyti,
ecclesiam agiæ Sophiaæ clausit, donec sedis apostolicæ ac-
quiesceret decretis.

Hæc est
Constanti-
nopolitana
sub Con-
stantino
Coprony-
mo.

XXIII.

Absit autem ut velimus credere, quod publica fama
non dubitat asserere, Constantinopolitanæ ecclesiæ con-
tingisse, ut eunuchos contra primum sancti Nicæni Concilii
capitulum passim promouendo, feminam in sede pon-
tificum suorum sublimasset aliquando. Hoc tam abomina-
nabile scelus detestabileque facinus etsi enormitas ipsius
vel horror fraternaque benevolentia non permittit nos

Concil. Tom. 25.

Kkk

credere , considerata tamen incuria vestra erga sanctorum censuram Canonum , quia eunuchos & aliqua parte corporis imminutos , non solum ad clericatum , sed ad pontificatum etiam indifferenter ac solenniter adhuc promouetis, fieri potuisse pensamus. Sed quid plura ? Tot & tantis schismaticis & haereticis, catholicam atque apostolicam ecclesiam aperte impugnantibus & discindere laborantibus haec tenus redundastis , vt Latina vel occidentalis ecclesia de vobis merito conqueri possit, voce sponsæ dicens in Canticis Canticorum : *Fili matris meæ pugnauerunt contra me.* Et vere : numquid enim Romana & apostolica sedes, quæ per euangelium genuit Latinam ecclesiam in occidente, mater non est Constantinopolitanæ ecclesiæ in oriente , quam per gloriosum filium suum Constantimum, & nobiles sapientesque Romanos, non tantum moribus, sed & muris studuit reparare ? Quod si contradicitis, ad quid vestro imperatori Latinæ laudes , & in ecclesia Græcis recitantur Latinæ lectiones ? Utique ob reuerentiam illius matris , quæ iam cunctis paganorum crudelitatibus, & diuersorum tormentorum quæstionibus vexata & impugnata , ac velut aurum nimiis persecutorum flammis decocta, deliciosa filiam , videlicet ecclesiam Constantinopolitanam, edidit.

XXIV.

Et certe iam decima a Nerone in Christianos persecutio penitus refixerat ; iam omne mundanæ insaniae incendium sopitum erat ; iam Roma adulta & longæua, in diuino cultu viçtrix & coronata , alta pace triumphabat ; iam innumerabilis vtriusque sexus & diuersæ ætatis martyrum exercitus , nostris azymis saginatus , yniuersos idololatriæ fregerat impetus : iam mundum & ipsum mundi principem sub pedibus habebat : iam non solum ipsi nostræ institutionis antistites, sed & ministri eorum, in quibus Laurentius ac Vincentius , omni mundo stupente , deficientibus ipsis tormentis & tortoribus insultabant. Modo delicata filia in conclaui residens secura , deliciis , lasciuia & longo otio dissoluta, nec ad campum rite agonizantiū aliquid progressa , pia matre satagente & decertante pro ea, non erubescit aut veretur primatum arrogare, maternæ senectuti iam emeritæ derogare , nec effetum corpus

ei⁹ laboribus & diebus, rugososque & minus validos artus, quondam torosos & ad prælia diuina exertos, saltem aliquo humanitatis respectu considerare, nullam reuerentiam reuerendis canis ipsius habere, sed ipsam puellari levitate post innumerabiles triumphos ad recidua bella aduersum semet prouocare, & eam solido perfectorum cibo priuatam, ad carnalium lac retrahere, quod contra usum naturæ, ex ipsis pubertatis suæ mammis in Ægypto, sicut supra dictum est, toties confractis, conatur impudenter ori eius instillare.

X X V.

Et vtinam saltem verum lac. Sed, proh dolor, non est lac, quo tenera fidelium paulatim nutriatur infantia, vt ad solidam escam pertingat: sed quod Salomon caendum denuntiat, dicens: *Fili mi, si te laetauerint peccatores, ne acquiescas eis.* Et: *Væ ei qui laetat amicum suum, & dicit eum via non bona:* nec est aqua, de qua qui biberit, non sitiat ultra: quia fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam, & flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ: sed potius aquæ furtiæ de puteis, quos Palæstini lutum, non aquam, amantes repleuerunt terra: vel de cisternis dissipatis, seu fluminibus Ægypti & Babylonis, quibus distenditur venter, & grauatus non repletur, sed exinanitur & intumescit, vt more hydropici tanto plus sitiat ad perniciem, quanto plus biberit. De quibus profecto Dominus per Ieremiam contra quosdam conqueritur, dicens: *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* & post aliqua: *Nunc quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam? Aut quid tibi in viis Assyriorum, ut bibas aquam fluminis?* Quas vtique, ne sitiamus, idem vetat, dicens: *Prohibe guttur tuum a siti.* Hinc Salomon, quas aquas appetere, quasque debeamus vitare demonstrans, ait: *Bi- be aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui. Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide. Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui. Sit vena tua benedicta.* Et in subsequentibus haereticam vanitatem sub specie stulta mulieris, visibili quodam modo forma coloratam atque depictam, introducit, dicens: *Mulier stulta & clamosa, ple- naque illecebris, & nihil omnino sciens, sedet in foribus domus Concil. Tom. 25.*

K k ij

suæ super sellam in excalso urbis loco , ut vocet transeuntes per viam & pergentes itinere suo : Qui est parvulus declinet ad me . Et recordi locuta est : Aquæ furtivæ dulciores sunt , & panis absconditus suauior . Et ignorauit quod gigantes ibi sint , & in profundis inferni coniuic eius .

XX VI.

Quorum ne sit particeps in Tartari flammis , quas vicissim sine fine pascat medullis suis , iam nunc filia recordetur gemitus piæ genitricis , & quot vel quanta pericula propter eam , seu propter sorores ipsius , in utero suo hactenus vidit : & gratia Dei discat talis fieri saltem admonita , qualis bene de se meritam matrem , etiam senio ac assiduo incuruam labore & tremulam , data manu atque supposito humero studeat subleuare & sustentare , non ad ruinam impellere , deprimere , perturbare , vel affigere .

*Prou. 15.**Prou. 23.**Prou. 1.**Ecclesi. 5.
Ibidem.**Prou. 19.*

*Pio affectu & humili corde iugiter perpendat quid idem Salomon dicat : *Stultus homo decipit matrem suam* . Et item : *Ne despicias cum senuerit mater tua* . Alioquin si , quod absit , pertinax esse voluerit , & piæ matri supercilium eius & arrogantiam adhuc dissimulanti , atque ad satisfactionem patienter expectanti , parcere & parere contempserit , experietur in anicula matre virides annos , exertos ad paternarum traditionum defensionem lacertos , adolescentulæ competentem alacritatem , iuuenculæ constantiam efficacem : & iuxta Salomonem , contumax comedet fructus viæ suæ , suisque consiliis saturabitur : quia , sicut idem testatur , *Benedictio patris firmat domos filiorum : maledictio autem matris eradicat fundamenta* . Et iterum : *Quam malæ famæ est qui fugit patrem : & est maledictus a Deo qui exasperat matrem* . Et : *Qui affigit patrem , & fugit matrem , ignominiosus est & infelix* . *Quam vtique offendere cauet quisquis placere patri studet , velut etiam quidam sapientum sæculi ait :**

Ne matrem offendas , dum vis bonus esse parenti.

XX VII.

His igitur & aliis quamplurimis liquet assertionibus , quid mereatur etiam carnalis matris contemptus : & quid de spiritualis genitricis contumelia & exprobratione dicitur . Illa siquidem in iniquitatibus nos conceptos generavit ad mortem : ista vero , culpis remissis , regenerauit ad vi-

tam. Quarum ceu dispar est meritum, ita & dispar pro eam honore* vt dedecore præmium: quia carnalem matrem honoranti longæuitas super morientium terram, & firmamentum casæ casuræ repromittitur: exasperanti autem eam terrenorum eradicatio fundamentorum. Porro spiritualem venerantes, longitudinem dierum in dextra Dei videbunt, & in terra viuentium sine fine habitabunt: spernentes vero illam, dupli contritione conterentur, & sicut diploide, confusione sua induentur, & radix eorum de terra viuentium euelletur. Etenim affectio carnalis matris si nos prohibet a reuerentia spiritualis, penitus relinqua & abscindenda est nobis, vt in Deuteronomio Moyses de tribu Leui dicit: *Qui dixerit patri suo & matri: Dwt. 33.*
Nescio vos; & fratribus suis: Ignoro illos, & nescierunt filios suos:
hi custodierunt testamentum tuum, iudicia tua, o Iacob, & legem tuam, o Israel. Quod denique facturis Dominus Iesu in *Matt. 19.* euangelio centuplum hic & in futuro vitam æternam re-promisit.

XXVIII.

Sed ecce iam non debet ingrata filia apparere, quia præ ceteris eam honorare dignata est mater sua. Nam cum nullo diuino vel humano priuilegio honorabilior seu clarior aliis ecclesiis Constantinopolitana existat ecclesia, & Antiochena, atque Alexandrina, ob reuerentiam principis apostolorum, inter alias retentent dignitatis iura: tamen pia mater, Romana scilicet ecclesia, nolens dilectam filiam dote honorificentia ex toto carere, per beatos prædecessores nostros in aliquot Synodis curauit decernere, vt, salua principalium & apostolicarum sedium antiqua dignitate, Constantinopolitanus antistes honoraretur sicut regiæ ciuitatis episcopus: quamuis Justinianus religiosus Augustus legibus humanis voluisse adstruere, vt post papam Romanum sedeat Constantinopolitanæ præsul ecclesiæ. Et certe hoc nulla alia excellentia meritorum est assecuta, nisi quod Romana ecclesia pro amore venerabilis Constantini, seipsum, quantum in eo fuit, honorantis & exaltantis, ciuitatem ipsius hoc priuilegio honoris sola humana benevolentia insigniuit, iuxta prophetæ dictum ad Heli: *Glorificantem me glorificabo: qui autem contemnunt me Reg. 2.* erunt ignobiles.

Kkk iii

XXIX.

Lue. II. Aut si quod aliud retinet, aut putat se habere dignitatis priuilegium, vos rebelles lumini ac veritati, & signiferi vmbrae & vanitatis, proferte in medium. Vos enim alloquimur, qui, sicut Dominus ait Phariseis, *tulisti clauem scientiae, qui clauditis regnum cælorum ante homines:* nec ipsi intrastis, nec alios intrare permittitis, sed potius prohibetis, dum matris venerandam faciem conspuere queritis, dum eam inseguimini conuiciis & maledictis, dum agnos eius ab ea segregare, etiam anathemate & flagellis, ne vocem maternam agnoscant & sequantur, contenditis. Ut enim fertur, omnes Latinorum basilicas penes vos clausistis, monachis monasteria & abbatibus tulistis, donec vestris viuerent institutis. Ecce in hac parte Romana ecclesia quanto discretior, moderatior & clementior vobis est. Siquidem cum intra & extra Romam plurima Græcorum reperiantur monasteria sive ecclesiæ, nullum eorum adhuc perturbatur vel prohibitur a paterna traditione, sive sua consuetudine; quin potius suadetur & admonetur eam obseruare. Nec enim animositatem impiæ hærefoes habet, quæ semper diuisione gaudet, dicens per patricidam meretricem: *Nec mibi, nec tibi sit, sed dividatur:* sed pietate vera matris sic Salomonem deprecatur: *Obsecro, domine, date huic infantem viuum, & nolite interficere eum.* Scit namque quia nil obsunt saluti credentium diuersæ pro loco & tempore consuetudines, quando vna fides per dilectionem operans bona quæ potest, vni Deo commendat omnes.

XXX.

*Græcorum
in Latinos
in iuria.* Quod vos cum ex debito gradus & loci vestri oportuisset scire & prædicare, quatenus de collectis ouibus gratiam a bono pastore, non condemnationem pro dispersis mereremini percipere, incurristis illud Apostoli ad Hebreos: *Quia cum debueritis magistri esse ex tempore, iterum necesse habetis doceri quæ sint elementa sermonum Dei.* Zelum enim Dei habetis, sed non secundum scientiam. Quam ut apprehendissetis, non saltu, sed canonico interuallo, imo plano pede ad episcopatus culmen a laica conuersatione peruenire debuitis, ne vobis refragarentur verba ipsius Apostoli, de episcopo dicentis: *Non neophytum, ne in superbiam elatus in iudicium incidat diaboli.* Nam cum locum doctoris usurpat in-

*3. Reg. 3.**Hcb. 5.**Rom. 10.**Tim. 3.*

doctus, necesse est ut aut discat quod doceat, aut cæcus pastor, seu non valens latrare canis mutus, perniciose sibi & subiectis remaneat, aut discere & tacere erubescens perniciosius docere præsumat. Raro quoque euenit ut in culmine positus valeat humilitatem discere, qui in imis non desit superbire. Huc accedit & illud, quod albuginem habens in oculo, a sacerdotio prohibetur. Albuginem quippe habet in oculo quisquis arrogantia iustitiæ vel sapientiæ cæcatur.

XXXI.

Sed absit ut religiosi principes & orthodoxi, atque Christianissima & Deo deuota ciuitas, vos in hoc vestro errore audiendos putent, quos potius ad vnitatis bonum terrore potestatis cogere debent. Recordentur Constantinopolitanos præfules in tantum priscis temporibus familiarissimo sibi morbo superbiae laborasse, vt edicto Augustorum Theodosii, Arcadii & Honorii prohibitus sit quisquam ex Constantinopolitana ecclesia pontificatum, defuncto episcopo Sisinnio, deinceps sperare, sed ex alia sibi iugiter pontificem expetere: quia erant inani gloriæ dediti, & supra modum arrogantes, ceu commemorant historiographi. Qui etiam referunt, quod septuagintasex orientales episcopi Concilium Sardicense declinantes, in Philippopoli Thraciæ anathematizandum Conuenticulum habuerunt, sanctamque & immaculatam Nicænæ Synodi fidem adulterantes, communi subscriptione errorem suum confirmarunt: occidentales vero trecenti amplexi sanam sanctorum patrum sententiam, vnanimitate sua corroborarunt. Quod totum ideo dicitur, ne post priorum cognitionem incaute præsentibus credatur.

XXXII.

Nam Romanæ ecclesiæ fides per Petrum super petram ædificata, nec hæc tenus deficit, nec deficiet in sæcula, Christo eius Domino rogante pro ea, ceu testatur sub ipsa passione sua: *Ego rogan⁹ pro te, Petre, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Quo dicto demonstrauit fidem fratrum vario defectu periclitandam, sed inconcussa & indeficiente fide Petri, velut firmæ ancoræ subsidio figendam, & in fundamento vniuersalis ecclesiæ confirmandam. Quod nemo negat, nisi qui euidenter hæc

ipsa verba veritatis impugnat: quia sicut cardine totum regitur ostium, ita Petro & successoribus eius totius ecclesiæ disponitur emolumentum. Et sicut cardo immobilis permanens dicit & reducit ostium, sic Petrus & sui successores liberum de omni ecclesia habent iudicium, cum nemo beat eorum dimouere statum; quia summa sedes a nemine iudicatur: vnde clerici eius cardinales dicuntur, cardini utique illi, quo cetera mouentur, vicinius adhaerentes.

XXXIII.

Quapropter nos certissime retinentes omni venerabilem mundo institutionem Petri, & fidem ipsius coapostoli sui & doctoris gentium Pauli clarissimo calamo subscriptam, ab apostolica sede omnibus libere clamamus quod Galatis idem Paulus: Licet nos aut angelus de celo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizatum est vobis, anathema sit. Sicut prædixi, & nunc iterum dico: Si quis euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema sit. Nec ideo silebimus, si dicimus non esse quales debemus, nec qualis est Petrus. Quod utique agendum esset, si cuiquam commendaremus nosmetipſos. Quia vero, sicut ait Apostolus, non prædicamus nosmetipſos, sed Dominum Iesum, nos autem seruos seruorum eius per Iesum, nobis pro minimo est ut a vobis iudicemur, aut ab humano die: quoniam qui iudicat nos, Dominus est. Neque enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat. Et repellendo temerarium iudicium, dicit alibi: Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Suo domino stat aut cadit: potens est enim Deus illum statuere.

XXXIV.

Nempe & vos, licet quamplurimum tumeatis, quamvis de vobis ultra modum alta sentiatis, non credimus tamen quod dicere audeatis, vos esse quales debetis, aut qualis Alexander, Ioannes Chrysostomus vel Flauianus fuit: sicut nec Antiochenus se tales, qualis extitit ipse Petrus: nec Alexandrinus parem se Marco vel Athanasio profiteri est ausus: quia sine retractatione a suis punirentur. Idcirco et si ad hoc vos impellit tumor, tamen retardat timor. Quæcum ita sint, nullius tamen vos detractio reprimit quin diligenter lac & lanam ab ouibus exigatis, nec veremini, ne dicatur non esse vos pares illis antecessoribus vestris

stris magnis. Cur hoc, nisi quia quicumque sacerdotes, et si
dispari sunt merito, pares tamen sunt officio? Nec potest
denegari pro merito quod debetur officio. Alioquin non
staret sacerdotium, si maius aut minus fieret, seu varia-
retur secundum humanorum varietatem meritorum: ef-
sentque pene tot sacerdotia, quot homines.

XXXV.

*Quia de re fratres, utinam non ad iudicium nostrum di-
camus, profecto sumus qualis Petrus, & non sumus qua-
lis Petrus: quia & idem sumus officio, & non idem meri-
to. Et quotiescumque lac & lanam, scilicet stipendum &
honorificentiam, ab ouibus Dei exigimus, nulla meriti
nostrí ibi fit commemoratio, sed officio nostro queritur
debita recompensatio. Ac sic meritum Petri non haben-
tes, officium autem Petri exequentes, officio nostro de-
bitos reposcimus honores, Apostolo dicente: Quamdiu Rom. 11.
minister ero, ministerium meum honorificabo. Et præmonens
oues Christi ad soluendum singulis debita, ait, Reddi- Rom. 13.
te omnibus debita: cui honorem, honorem. Non quia bonum
sit accipientibus, sed quia malum sit non reddentibus. Sic
ergo & beatissimus prædecessor noster Gregorius dicit:
Nemo nos propter nos in loco Petri despiciat: quia ex
cathedra eius, cui, auctore Deo, qualescumque præsi-
demus debita sibi iura nostrum officium reclamat. Fre-
quenter enim solet euenire quod dicimus, ut persona
in hoc mundo potens despectum seruum habeat. Cum
que per eum suis vel extraneis aliqua mandat, non de-
spicitur persona missi serui, quia in corde seruatur re-
uerentia mittentis domini. Ergone saltem quod Do-
minus concessit Phariseis & Scribis sedentibus in cathe-
dra Mosis seruus denegabit qualibuscumque conseruis
suis in cathedra Petri? Super cathedram, inquit, *Mosis sede-
runt Scribæ & Pharisei. Omnia ergo quæcumque dixerint vo-
bis seruate & facite.* Ita quod male viuimus, nostrum est:
quod vero bona dicimus, cathedra: cuius occasione ne-
cessé habemus recta prædicare. Vnde dicit ille exercitatif-
fimus Paulus: *Dum omnimodis siue occasione, siue iniuria Chri-
stus annuntietur: & in hoc gaudeo, sed & gaudebo.* Ecce Apo-
stolus sic necessarios ducit huiusmodi, ut gaudeat super
eis: & vos qui estis, qui negligentiam eorum ad iniuriam
*Concil. Tom. 25.**

LII

apostolicæ cathedræ retorquetis? Nos enim quid sumus?
Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Domi-
num, cuius ordinationi resistendo, damnationem vobis
acquiritis: cum nostra potestas, sicut & omnis, a nullo alio
nisi ab ipso sit. Sciendum est, quia falsa iustitia dedigna-
tionem, vera autem compassionem habet. Quia utique
priuamini, insultando, non compatiendo alienæ calamiti-
tati. Et forte approbare nequitis, quod obiicere vel ca-
lumniari præsumitis: imo constat vos comprobare non
posse. Sed esto. *Ecce in cælo index noster, & conscius noster in*
excelsis.

Job 16.

XXXVI.

Ceterum de homine sentite, o homines, quod vultis: v-
num tamen conscientia respondet nobis, quia omnium ec-
clesiarum Dei salutem & exaltationem summopere deside-
ramus: sed ut quicumque quodlibet ex superbia arripiat, &
sibi contra nostram apostolicam sedem atque leges eius
vsurpet, hoc nos tolerare non possumus, quia quisquis Ro-
manæ ecclesiæ auctoritatem vel priuilegia euacuare seu
imminuere nititur, non hic vnius ecclesiæ, sed totius Chri-
stianitatis subversionem & interitum machinatur. Cuius
enim compassione vel sustentatione ulterius respirabunt
filiae a quo quis oppressæ, vnicar illa suffocata matre? Cuius
refugium appellabunt? Ad quam confugium habebunt?
Ipsa enim Athanasium, ipsa omnes catholicos suscepit,
fouit, defendit, & sedibus propriis pulsos restituit.

XXXVII.

Ideo cupiendo omnes in visceribus Iesu Christi, no-
biscum vos admonemus, ne falsum nomen scientiæ, iu-
sticiæ vel gloriæ quærendo, unus aduersus alterum infle-
tur, ne cinis & terra periculose superbias, ne abomina-
bilis & miser homo, bibens quasi aquas iniquitatem, se-
quendo exteriora, in vita sua proiiciat intima sua. Si-
mus unum corpus, & unus spiritus, sicut vocati sumus in
una spe vocationis nostræ. Ipsa corporis compositio &
membrorum nos doceat, qualiter & quanti habenda sit
ecclesiæ unitas. Ipsa etenim corpus est Christi, ut Apo-
stolus dicit: *Vos etsi corpus Christi, & membra de membro.*
Et sicut in uno corpore multa membra habentur; omnia autem
membra non eundem actum habent; ita multi unum corpus su-

1. Cor. 12.

Oppugnâs
ecclesiam
Romanam
totius Chri-
stianitatis
subuercio-
nem machi-
natur.

*mus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Et si dicit auditus, vel manus, Non sum oculus, Non sum de corpore, ideo non est de corpore? Si totum corpus oculus, ubi auditus, & reliqui sensus? Nunc autem disposuit Deus, sicut voluit, corporis membra, singula officio suo apta. Membrum vero suo officio non contentum, sed cupiens præripere alienum, conturbat corporis ordinem totum: velut si visus voces, auditus colores, gustus odores, olfactus asperas res aut lenes, tactus tentaret discernere sapores, nonne frustra omnes paterentur? Sic singulorum ornamenta seu indumenta non sunt omnibus membris accommoda, nec congrua: sed unumquodque requirit sua, & abiicit aliena. Nempe refutat pes coronam, galeam & pileum, caputque sandalia vel pedules ad suum non applicat usum. Sic manuum dignitas & maxima utilitas, quamuis componat insignem imperii coronam, non tamen hanc sibi adaptat & imponit, sed capiti, contenta suis armillis, dextrocherio & annulis. Idem fit & in ceteris, & tam discors concordia est in eis, ut eorum quodlibet alii officium suum omnino deputare recusat: & tamen de bono unius pariter exultent, sicut de malo communiter dolent: & officia sua non sibi tantum, sed magis mutuae utilitati, exhibent. Vnde secutus idem Apostolus, ait: *Si glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra.* Et quantæ insipientiae est nolle nos imitari quod sumus, & quod ad transitoriam vitam aliquamdiu retinendam accepimus non considerare, ut in perpetuum subsistamus.*

XXXVIII.

Quia vero ante omnia pestilens mater superbia, eiusque crudelissimæ filiæ, inuidia scilicet ac inanis gloria, pars superbia & inuidia quarum rerum origo. obstinata rabie corpus Christi moliuntur etiiscerare & dilacerare, non efficiamur inanis gloriae cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes, ne, quod auertat Deus, contingat nobis dictum Apostoli: *Quod si inuicem mordetis, Galat. 5. videte ne abinuicem consumamini.* & illud Iacobi: *Quod si zelum Jacob. 5. amarum habetis, & contentiones sint in vobis, nolite gloriari, & mendaces esse aduersus veritatem. Non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Quæ autem desursum est sapientia, primo quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, amans bonum, sine simulatione. Has itaque duas &*

Concil. Tom. 25.

LII ij

valde sibi contrarias sapientias vigili mente discernite:
 & si Petrus singulariter figura summi capitum nostri, vica-
 riisque eius, ac sui successores iam in terris retinent specia-
 lem dignitatem terreni cælestisque regni, nolite inuidere
 vel detrahere Romanæ ecclesiæ apici, quem per caritatem
 totum valetis adipisci, & in nobis regnare & ipsi. Sin alias,
1. Cor. 4.
 audietis quod supra: *Iam saturati estis, iam diuites facti estis:*
fine nobis regnatis: atque utinam regnaretis, ut & nos vobiscum
regnaremus.

XXXIX.

Ecce nos vestram gloriam ducimus nostram: cur vos
 annullare nitimini nobis diuinitus & humanitus conces-
 sam? Nonne decus vel dedecus sui capitum manus seu pes
 suum non dicit? Nec dolet, sed potius gaudet uno sensu,
 id est solo tactu donatum corpus, superpositum sibi ca-
 put omnibus pollere sensibus, quia eos militare facit, & in-
 uigilare corporis subiecti utilitatibus, & caput de omnibus
 iudicans sensibus nullo sensu iudicatur, utpote solius sui
 iudicio sufficientissimum: vtque Apostolus dicit, *Spiritu-
 lis iudicat omnia, ipse autem a nemine iudicatur.* Hæc & supra
1. Cor. 2.
 dicta de corporis nostri harmonia si non sentitis in vobis,
 in corpore non estis, nec in corpore viuitis: & si in corpo-
 re Christi, quod est ecclesia, non estis, nec de eo viuitis,
 iam videte ubi & quid sitis. Abscessi estis, putrescitis, &
 velut palmes præcisus de vite foras missi estis, & arescitis,
 ut in ignem mittamini, & ardeatis, quod diuina pietas lon-
 ge faciat a vobis.

XL.

Sed quia iam nunc videmur digressi modum epistolæ,
 alio exordio congruum censuimus respondere vestræ cal-
 lumniæ, quam confratribus & coepiscopis nostris Apulis,
 scriptam ad fuggillationem nostri azymi, & prædicatio-
 nem vestri fermenti, non dubitate dirigere. Inter hæc di-
 rigimus vestris cauillationibus refragantia venerabilium
 patrum nostrorum aliqua super his scripta: deinde, ut
 Deus inspirabit, nostra rescripta, quatenus multipliciter
 vestra redundantur, & retroferantur iacula, & quem non
 vultis feriant. Nam si vos non erubescitis, nec timetis de
 loquacitate, nos non tantum erubescere, quantum timere
 debemus de taciturnitate: quia de nostra multorum pen-

dent animæ, quæ falsis fratribus calumniantibus, & nobis tacentibus, habent perire.

X L I.

Ista autem vobis paterna pietate, ac germana dilectione interim rescribimus, in quibus satis declinasse nos credimus, ne in illud Salomonis incideremus: *Noli respondere Pro. 26.*
stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris illi similis. Verum si non resipueritis, experiemini quod idem mox secutus ait: *Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne fibi sapiens esse videatur.* Et illud Apostoli: *Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem deuita: subuersus est enim qui eiusmodi est, & delinquit proprio iudicio condemnatus.* Et cauendo interdictum veteris legis typicum, deinceps non coquemus hoedum in lacte matris suæ: sed impetiginem eius & scabiem fricabimus instanter mordaci acetô & multo sale: quia cum dolore abscondenda sunt, quæ leni manu palpari & sanari non possunt, vt Dominus admonet, dicens: *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, absconde eum, & pro-Mattib. 18.* iice abs te. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum. Sed miseratione Dei præcedens hæc nostra dicta, parcet & nobis & vobis, vt deinceps non sit necesse circa quæstiones & pugnas verborum occupari, sed ex diuinis paginis nostram in hoc mundo peregrinationem inuicem consolari, & pacifice adhortari, vt Psalmista canit: *Pax multa Psal. 118.* diligentibus legem tuam, Domine, & non est illis scandalum. Quod vero caritas & unitas fratrum ipsa sit lex Dei, ostendit illud euangelii: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis Ioh. 13.* inuicem. Quam nos sinceram hic conseruare, & in futuro sine fine ipsam, quæ Deus est, perspicere, qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, dignetur concedere. Amen.

EPISTOLA II.

LEONIS PAPÆ IX.

AD EPISCOPOS VENETIÆ ET ISTRIÆ.

Præcipit ut patriarchæ Gradensi , cuius primatum ab apostolica sede concessum in Synodo confirmatur, obedientiam præbeant.

Leo episcopus seruus seruorum Dei omnibus episcopis Venetiæ & Istriæ salutem & apostolicam benedictionem.

NOVERIT vestra carissima nobis in Christo fraternitas, hac in præsenti indictione sexta, carissimum confratrem nostrum Dominicum Gradensem, imo nouæ Aquileiæ patriarcham, ad Synodum nostram Romæ habitam venisse, & querimoniam de sua & Foroiuliensi ecclesia, quam credimus vos non ignorare, lacrymabiliter coram fecisse. Cujus tandem relectis priuilegiis a sancta Romana & apostolica sede sibi concessis, iudicio totius sanctæ Synodi hoc definitum fuit, Ut noua Aquileia totius Venetiæ & Istriæ caput & metropolis perpetuo haberetur, secundum quod euidentissima prædecessorum nostrorum adstruebant priuilegia. Foroiuliensis vero antistes, tantummodo finibus Longobardorum esset contentus, iuxta priuilegium Gregorii II. & retractationem tertii. Et hoc quidem extra patientiam Canonum ei pro magno concessimus, quia quater iam vocatus a nobis nec venit, nec excusauit, cum Gradensis, id est nouæ Aquileiæ patriarcha, quinques nostræ Synodo, etiam non vocatus, interfuerit. Vnde monendo mandamus, & præcipimus vobis ex parte Dei, & sancti Petri, & nostra, vt præfato Gradensi patriarchæ successoribusque eius in omnibus, secundum iura canonica, obedientes sitis, sicut primati vestro & patriarchæ esse debetis, & sicut antecessoribus eius nostri perpetuo confirmarunt. Et si quid sui iuris in vrbibus vestris vel parochiis continetur, quod suo dominatui merito debeat subdi, nullus vestrum sibi contradicere præsumat. Si quis vero vestrum quidquam iustæ querimonix aduersus eum videtur habere, aut coram vobis confratribus & comprouincialibus causam suam proferat, & cum

eo, si potuerit, pacifice diffiniat, aut in præsentiam nostram vtraque pars examinanda veniat, salua sibi interim per omnia & patriarchali reuerentia, & proprieta te sua. Quod si extra feceritis, sententia canonica super vos vigilabit.

EPISTOLA III.
LEONIS PAPÆ IX.

AD THOMAM EPISCOPVM AFRICANVM.

Ostendit Carthaginensem archiepiscopum totius Africæ esse primatem: Gummitanum vero episcopum sine il lius consensu nec episcopos consecrare, nec prouinciale Concilium conuocare posse: solius autem Romani pontificis esse & episcopos deponere, & generalia Concilia indicere.

*Leo episcopus seruus seruorum Dei Thomæ confratri carissimo
& coepiscopo salutem.*

CVM ex venerabilium Canonum auctoritate recolimus ducentos quinque episcopos Concilio interfuisse Carthaginensi, & nunc a tua fraternitate audimus, quinque vix episcopos supereesse in tota Africa, vtique tertia huius corruptibilis mundi parte, compatimur tantæ vestræ imminutioni totis visceribus animi. Cum autem ipsas Christianitatis reliquias ediscimus interna & mutua diffensione discindi & dispergi, & aduersus se inuicem zelo & contentione principatus inflari, nil aliud nobis primo dicendum occurrit, quam illud sancti Amos vatis: *Parce, Domine, parce obsecro: quis suscitabit Iacob, quia Amos 7.
parvulus est?* Sed quamuis in tali tantoque defectu religio nis plurimum doleamus, multum tamè gaudemus, quia sanctæ Romanæ ecclesiæ matris vestræ sententiam requiritis & expectatis super quæstionibus vestris: & quasi riuulis ab uno fonte erumpentibus, & in suo se cursu per diuersa spargentibus, ad ipsius fontis primam scaturiginem reuerti debere optimum putatis, vt inde resumatis directionis vestigium, vnde sumpsistis totius Christianæ religionis exordium. Noueris ergo procul dubio, quia post Romanum pontificem primus archiepiscopus & to-

tius Africæ maximus metropolitanus est Carthaginensis episcopus : nec quicumque sit ille Gummitanus episcopus , aliquam licentiam consecrandi episcopos vel depo- nendi , seu prouinciale Concilium conuocandi , habet sine consensu Carthaginensis archiepiscopi , cuiuslibet digni- tatis aut potestatis sit , exceptis his quæ ad propriam pa- rochiam pertinent : cetera autem , sicut & alii Africani epi- scopi , consilio Carthaginensis archiepiscopi agit . Vnde carissimi confratres nostri & coepiscopi Petrus & Ioannes recte sentiunt de Carthaginensis ecclesiæ dignitate , nec consentiunt errori Gummitanæ ecclesiæ . Hoc autem no- lo vos lateat , non debere præter sententiam Romani pon- tificis vniuersale Concilium celebrari , aut episcopos dam- nari , vel deponi : quia et si licet vobis aliquos episcopos examinare , diffinitiuam tamen sententiam , absque con- sultu Romani pontificis , ut dictum est , non licet dare : quod in sanctis Canonibus statutum , si queritis , potestis inuenire : quamuis enim omnibus generaliter apostolis

Matth. 18. dictum sit a Domino : *Quæcumque ligaueritis in terra , ligata erunt & in cælo : & quæcumque solueritis in terra , soluta erunt & in cælo ;* tamen non sine causa specialiter & nominatim

Matth. 16. dictum est beato Petro apostolorum principi : *Tu es Pe- trus , & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam : & tibi da- bo claves regni cælorum .* Et in alio loco : *Confirma fratres tuos .*

Luc. 22. Scilicet , quia omnium ecclesiæ maiores , & difficilio- res causæ per sanctam & principalem beati Petri sedem a successoribus eius sunt diffiniendæ . Iam quia ad interro- gata etiam confratrum nostrorum Petri & Ioannis epi- scoporum decreuimus respondere , optamus ut sanctam tuam fraternitatem iugiter inuigilantem vtilitatibus sanctæ ca- tholicæ ecclesiæ , deuote pro nobis orantem , sancta & indiuidua Trinitas semper conseruet , carissime frater .

Datum xvi. Kalendas Ianuarii , anno domini Leonis papæ IX. quinto , indictione vii.

EPISTOLA IV.

LEONIS PAPÆ IX.

AD PETRVM ET IOANNEM EPISCOPOS.

Eiusdem argumenti. Addit præterea nonnulla de episcoporum & archiepiscoporum institutione.

*Leo episcopus seruus seruorum Dei dilectissimus in Christo fratribus
Petro & Ioanni episcopis salutem & apostolicam
benedictionem.*

DECVS ecclesiarum Africanarum ita conculcatum a Gentibus nimium dolemus, ut modo vix quinque inueniantur episcopi, vbi olim ducenti quinque solebant per Concilia plenaria computari: & ibi pauculas oues, quotidianæ occisioni deputatas, remansisse, vbi quoniam innumerabilis grex Domini sub numerosis arietibus exultabat alta pace. Sed hæc peccatis nostris imputantes, iustitiam creatoris collaudantes timeamus, & misericordiam eius instanter postulemus, ut seruos suos tandem respicere dignetur. Quod autem scripsistis nobis pro sanctæ Romanæ ecclesiæ statu, nostraque incolumitate, vos Dominum gratias agendo exorasse, noueritis nos vestræ fraternitati gratias agere, & pro consolatione vestra semper orare. Et reuera, fratres, hoc acceptabile est Domino nostro Iesu Christo, ut caput omnibus membris prospiciat & inuigilet, membra vero sui capitinis salutem sine intermissione querant & optent. Bene equidem fecistis, quod iussi a nobis Concilium de rebus ecclesiasticis habuistis: quod etiam omni anno vel semel agere debetis. Insuper recte contra Gummitanum episcopum, dignitatem Carthaginensis ecclesiæ defendistis: quia sine dubio post Romanum pontificem primus archiepiscopus, & totius Africæ maximus metropolitanus est Carthaginensis episcopus, nec pro aliquo episcopo in tota Africa potest perdere priuilegium semel suscepturn a sancta Romana & apostolica sede: sed obtinebit illud usque in finem seculi, & donec in ea inuocabitur nomen Domini nostri Iesu Christi, siue deserta iaceat Carthago, siue resurgat gloriofa aliquando. Hoc ex Concilio beati martyris Cypriani,

Concil. Tom. 25.

M m m

hoc ex Synodis Aurelii, hoc ex omnibus Africanis Conciliis, hoc (quod maius est) ex venerabilium prædecessorum nostrorum Romanorum præsulum decretis aper-te monstratur: nec quicumque ille sit Gummitanus episcopus, aliquam licentiam consecrandi episcopos, vel deponendi, seu prouinciale Concilium conuocandi habet fine consensu Carthaginensis archiepiscopi, cuiuslibet dignitatis aut potestatis sit: tantummodo procurabit ille Gummitanus episcopus, quæ ad propriam parochiam pertinent. Cetera autem, sicut & alii episcopi Africani, consilio Carthaginensis archiepiscopi ager, qui solus in Africa pallium ab apostolica sede habere solet. Vnde & episcopos consecrandi principale & antiquum ius retinet, sicut ex verbis Aurelii in Conclio Carthaginensi, capitulo trigesimonoно potest intelligi, cum dicit: In ecclesia, ad quam dignata est vestra sanctitas conuenire, crebro ac pene per diem dominicam episcopos ordinandos habemus, &c. Sed hoc vos non lateat, non debere præter * scientiam Romani pontificis vniuersale Concilium celebri, aut episcopos damnari, vel deponi: quia etsi licet vobis aliquos episcopos examinare, diffinituam tamen sententiam absque consultu Romani pontificis, ut dictum est, non licet dare: quod in sanctis Canonibus statutum, si queritis, potestis inuenire, scilicet quia omnium ecclesiarum maiores & difficiliores causæ, per sanctam & principalem beati Petri sedem, a successoribus eius diffinienda sunt, vtpote cui diuinitus dicitur: *Confirmata fratres tuos.*

&, Tibi dabo claves regni cælorum, &c.

Nunc quia de archiepiscopis & metropolitanis sententiā nostrā requiritis, venerabilium antecessorum nostrorum dicta aperte demonstrant, id est Clementis, Anacleti, Aniceti, & aliorum, vbi ita legitur: Sacerdotum ordo bipartitus est, nec amplius quam duos ordines, id est episcoporum & presbyterorum, nobis collati sunt, nec apostoli docuerunt. Episcoporum autem ordo unus est, quamuis alii præferantur aliis, siue pro eo quod primas ciuitates, & magis nominatas, secundum potentiam, aut leges saceruli retinent, siue quod a sanctis patribus pro aliqua reuerentia sanctitatis aliquod priuilegium dignitatis possident. Nam sicut omnis mundana potestas his grad-

Carthaginiensis episcopus solus in Africa pallium habet.
Concilium Carthaginense III.

Luc. 22.
Math. 16.

Sacerdotum ordo bipartitus.

bus dignitatum a se inuicem distat, id est ut primus sit Augustus vel imperator, deinde Cæsares, deinde reges, duces, & comites atque tribuni: ita & ecclesiastica dignitas ordinata a sanctis patribus inuenitur, dicente beato Clemente: In his ciuitatibus, in quibus olim apud ethniconos primi flamines eorum, atque primi legis doctores erant, primates vel patriarchæ positi sunt, qui reliquorum iudicia & maiora negotia iuste diffinirent, qui etiam non vni prouinciae sed pluribus præfessent. Deinde ubi archiflamines erant paganorum, archiepiscopi instituti sunt Christianorum, qui singulis prouinciis præfessent. Vbi vero metropolis erat, quæ interpretatur mater ciuitas, metropolitani erant: quippe qui de tribus aut quatuor ciuitatibus intra aliquam prouinciam maiori & matri aliarum ciuitatum præsidebant. Iste aliquando metropolitani tantum nominantur, aliquando vero archiepiscopi, si in ipsa prouincia maiores non fuerint aliqui. Vbi autem minores ciuitates habuerint solummodo flamines vel comites, episcopi sunt instituti. Porro tribuni plebis non absurde intelliguntur presbyteri, siue reliqui inferioris ordinis clerici. His omnibus diuino & humano priuilegio prælatus est pontifex Romanus. Sed de Africæ primatis aliter intelligendum est, quia in singulis eius prouinciis antiquitus primates instituebantur, non secundum potentiam alicuius ciuitatis, sed secundum tempus suæ ordinationis: quibus tamen omnibus præferat unus, scilicet Carthaginensis archiepiscopus, qui etiam non incongrue dici potest metropolitanus propter Carthaginem metropolim totius Africæ, quorum supra minimus. Ita legitur in Concilio Carthaginensi, capitulo vigesimo sexto: Primæ sedis episcopus non appelletur princeps sacerdotum, aut summus sacerdos, aut aliquid huiusmodi, sed tantum primæ sedis episcopus. Sanctam vestram fraternitatem iugiter inuigilantem utilitatibus sanctæ Dei ecclesiæ, atque deuote pro nobis orantem, sancta & indiuidua Trinitas semper conseruet, carissimi fratres.

Concilium
Carthaginense L.

EPISTOLA V.

LEONIS PAPÆ IX.

AD PETRVM EPISCOPVM.

Gratulatur de eius erga sedem apostolicam obseruantia.
 Confirmat eius ordinationem, si secundum Canones
 fuerit promotus. Hortatur ut suæ ecclesiæ dignitatem
 tueatur. Probat fidem ad se ab eo scriptam eamdem
 esse quam tenet Romana ecclesia, cuius fidei summa
 capita ad eum mittit.

*Leo episcopus seruus seruorum Dei dilecto fratri
 & coepiscopo Petro.*

CONGRATULAMVR vehementer in Domino tuæ sanctissimæ fraternitati, atque multimodas gratias, vt dignum est, referimus ei qui est vera pax & caritas suorum, quod tandem per te, carissime frater, videtur refloruisse sanctæ Antiochenæ ecclesiæ studium, & sentire quod est sentiendum. *In hoc enim cognoscunt omnes, quia Christi sumus discipuli,* (qui primum in ipsa magna Antiochia nominati fuerunt Christiani) *si dilectionem habuerimus ad inuicem, & id ipsum dixerimus omnes, & non fuerint in nobis schismata:* *si fuerimus perfecti in eodem sensu, & in eadem scientia.* Neque enim Deus, qui vñus est, in scissuris mentium, sed in sola vnitate, & puro corde habitat, & habitare facit vnanimes in domo. Alioquin domus exasperans erit, nec iam digna vocari ecclesia Dei, sed synagoga maligni. Porro sicut calamitosum est, si vñitas deest bonis: ita perniciosum, si adsit malis. *Quod ipse ex specula sanctæ illius ecclesiæ, cui videris designatus diuinitus speculator, prudenti oculo considerans promotionem tuam ad episcopale fastigium, electione cleri & populi, sicut asseris, factam, atque fidem tuam secundum antiquæ consuetudinis religiosum & valde necessarium studium, apostolicæ & primæ sedi, cui, Deo auctore, quamvis indigni præsidemus, annuntiare & exponere curasti.* In quo facto nouerit tua dilectio nos plurimum recreatos & gauifos in Domino: quia quod maxime oportebat, tibi & ecclesiæ, cui temporaliter præfides, non distulisti efficere.

*Iean. 13.**1. Cor. 1.*

Siquidem ab apostolica tua sede nostram apostolicam sedem consulendo, perpendimus tuam dilectionem nolle deuiare a dominico & omnium sanctorum patrum concordi decreto, quo inuiolabiliter cunctis in toto orbe ter-

Romana
fides, caput
omnium ec-
clesiarum.

rarum ecclesiis, sancta Romana & apostolica sedes caput præponitur, ad quam maiores & difficiliores causæ omnium ecclesiarum definiendæ referantur. Sic omnia ve-
neranda Concilia, sic leges humanæ promulgant, sic ipse Sanctus sanctorum, Rex regum, & Dominus dominan-
tium confirmat, quatenus ibi principalis dignitatis, & to-
tius ecclesiasticæ disciplinæ venerabilis apex præfulgeat
& præcellat, ubi ipse vertex atque cardo apostolorum Pe-
trus carnis suæ beatam resurrectionem in nouissimo die
expectat. Nimirum solus est ille, pro quo, ne deficeret eius
fides, Dominus & Saluator afferit se rogasse, dicens: *Simon,* Luc. 22.

*Simon, ecce satanas expetiuit vos, ut cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, ut non deficiat fides tua: Et tu aliquando con-
uersus confirma fratres tuos. Quæ venerabilis & efficax ora-*

Fides Ro-
manæ sedis
non defi-
ciet.

*tio obtinuit, quod haec tenus fides Petri non defecit, nec de-
fectura creditur in throno illius usque in saeculum saeculi:
sed confirmabit corda fratrum variis concutienda fidei
periclitationibus, sicut usquenunc confirmare non cessa-
uit. Pro cuius excellentia tertiam a Romana ecclesia digni-
tatem retinet Antiochenæ, quam te defendere summope-
remonemus, non tuæ gloriæ causa, sed pro sedis, cui ad
tempus præsides, antiqua honorificentia. Nec reuoceris
ab hac intentione cuiuslibet pompa vel arrogantia, quin
constanter defendas honorem quem Antiochenæ eccle-
siæ reliquerunt omnia sanctorum patrum Concilia. Ad
quod utique, si oportuerit, maxima mater, Romana sci-
licet atque prima sedes, tam dilecta sibi filia, imo conso-
cia, nusquam & nunquam deerit. Quod totum ideo di-
cimus, quia quosdam conari minuere antiquam dignita-
tem Antiochenæ ecclesiæ audiuimus.*

Porro quod a nobis causas diuisionis vniuersalis eccle-
siæ compatiendo requiris, fatemur tuæ religiosæ solicitu-
dini, nos adhuc a Domino miserante firmissime retinere
vinculum sanctæ unitatis: nec videmus nos alicubi incur-
risse damnum schismatis, quos integritas concordia, &
plenitudo ecclesiasticæ disciplinæ indefinenter regit. Vni-

M m m iij

cuique nostrum debetur honor, & sua iura conseruantur. Terminos, quos patres nostri fixerunt, nulli arroganter transgredi conceditur. Magis vestra fraternitas circumspiciat, ne qua radix amaritudinis atque dissensionis, quod absit, in vestris partibus succrescat, per quam inquinentur multi, & quamneccesse sit districta falce sanctorum Canonum a catholicæ ecclesiæ agro extirpari. Mea vero humilitas in culmine apostolici throni ideo exaltata, vt approbanda approbet, improbanda quoque improbet, tuæ sanctissimæ fraternitatis episcopalem promotionem libens approbat, collaudat & confirmat, & communem Dominum instanter exorat, vt quod humano ore iam diceras, ante eius oculos existas. Noueris tamen, nos ipsam tuam promotionem taliter approbare, si non hanc neophytus, aut curialis, seu digamus, vel precio, aut alio quolibet modo sacris Canonibus contrario, quod absit, obtinuisti. Sane fidem tuam, quam proprio scripto summæ & apostolicæ sedi exposuisti, sanam & catholicam atque orthodoxam per omnia protestamur, & sicut vere vnicam & salutarem amplectimur, & tuæ dilectioni vehementer congratulantes in Domino, eamdem nostram esse deuoto corde & prompto ore profitemur. Firmiter enim credo sanctam Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, vnum Deum omnipotentem esse, totamque in Trinitate deitatem coessentialm & consubstantialem, coæternam & coomnipotentem, vniusque voluntatis, potestatis & maiestatis: creatorem omnium creaturarum, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, quæ sunt in cælo & in terra, visibilia & inuisibilia. Credo etiam singulas quasque in sancta Trinitate personas, vnum Deum verum, plenum & perfectum. Credo quoque ipsum Dei Patris Filium, Verbum Dei æternaliter natum ante omnia tempora de Patre, consubstantialem, coomnipotentem, & coæqualem Patri per omnia in diuinitate, temporaliter natum de Spiritu sancto ex Maria semper virgine, cum anima rationali: duas habentem natuitates, vnam ex Patre æternam, alteram ex matre temporalem: duas voluntates & operationes habentem: Deum verum, & hominem verum: proprium in vtraque natura atque perfectum: non commixtionem atque diuisionem

Fidei Ro-
manæ ec-
clesiæ expli-
catio.

passum, non adoptium neque phantaſticum: vnicum & vnum Deum, Filiū Dei in duabus naturis, sed in vnius personæ singularitate: impassibilem & immortalem diuinitatem, sed in humanitate pro nobis & pro nostra salute passum vera carnis paſſione, & sepultum, ac resurrexiſſe a mortuis die tertia vera carnis resurrectione: propter quam confirmandam, cum discipulis nulla indigentia cibi, sed sola voluntate & potestate comediffe, die quadragesimo post resurrectionem cum carne, qua surrexit, & anima ascendisse in cælum, & sedere in dextera Patris: inde decimo die misſe Spiritum sanctum, & inde ſicut ascendit venturum iudicare viuos & mortuos, & redditurum vnicuique ſecundum opera ſua. Credo etiam Spiritum sanctum plenum & perfectum, verumque Deum, a Patre & Filio procedentem, coæqualem & coessentialē & coomnipotentem, & coæternum per omnia Patri & Filio, per prophetas locutum.

Hanc sanctam & indiuiduam Trinitatem non tres deos, ſed in tribus personis, & in vna natura ſive eſſentia vnum Deum omnipotentem, æternum, inuifibilem & incommutabilem ita credo & confiteor, vt Patrem ingenitum, Filium vniigenitum, Spiritum sanctum nec genitum nec ingenitum, ſed a Patre & Filio procedentem, veraciter prædicem. Credo sanctam catholicam & apostolicam vnam eſſe veram eccleſiam, in qua vnuſ datur baptiſmus, & vera omnium remiſſio peccatorum. Credo etiam veram reſurreciōnem eiusdem carnis, quam nunc geſto, & vitam æternam. Credo etiam noui & veteris testamenti, legis & prophetarum & apostolorum vnum eſſe au托rem Deum & Dominum omnipotentem: Deum prædestinasse ſolummodo bona, præſciuifſe autem bona malaque. Gratiam Dei præuenire & ſubſequi hominem credo & profiteor, ita tamen, vt liberum rationali creaturæ non denegem. Animam non eſſe partem Dei, ſed ex nihilo creatam, & absque baptiſmate originali peccato obnoxiam credo & prædico.

Porro anathematizo omnem hæresim extollentem ſe aduersus sanctam eccleſiam catholicam, pariterque eum quicumque aliquas ſcripturas, præter eas, quas catholica ecclesia recipit, in au托ritate habendas eſſe crediderit, vel

Ita diuus
Gregorius
epist. 24. li-
bro. I.

veneratus fuerit. Quatuor Concilia omnimode recipio, & velut quatuor euangelia veneror: quia per quatuor partes mundi vniuersalis ecclesia in his, tamquam in quadro lapide, fundata consistit. Primum, Nicænum trecentorum & octodecim patrum sub beato Siluestro papa Romano, & Constantino Augusto magno: cui præfuerunt Victor & Vincentius Romani presbyteri. Secundum, Constantinopolitanum primum centum quinquaginta patrum sub Damaso papa & Theodosio maiore. Tertium, Ephesinum primum ducentorum patrum sub Cælestino papa & iuniore Theodosio. Quartum, Calchedonense sexcentorum & triginta patrum sub beato Leone papa, & Marciano Augusto.

Pari modo recipio & veneror reliqua tria Concilia, id est, secundum Constantinopolitanum sub Vigilio papa & Iustiniano Augusto: deinde tertium Constantinopolitanum contra Monothelitas sub Agathone papa & Constantino nepote Heraclii: Ultimum, secundum Nicænum sub Hadriano papa & Constantino Irenes filio, pro reuerendis Domini Iesu Christi & sanctorum imaginibus. Quidquid supra dicta septem sancta & vniuersalia Concilia senserunt & collaudauerunt, sentio & collaudio: & quoscumque anathematizauerunt, anathematizo. Hanc fidem sancta Romana & apostolica sedes corde credit ad iustitiam, & ore confitetur ad salutem. Secundum hanc viuere, Domino donante, studet, & pro eius defensione, si oportuerit, mori parata est. Quam & in te, frater carissime, perfectam cognoscimus, & secundum eam te viuere nobiscum admonemus, profecto scientes quia fides sine operibus mortua est. Salutamus cum omni fraternitate seu collegio sanctæ Romanæ & apostolicæ sedis tuam fraternitatem sanctam, cunctumque collegium in Domino tibi subiectum: & vt pro nostra gemina salute omnipotentem Dominum iugiter exores precamur plurimum, reuerende & desiderabilis frater.

EPI-

EPISTOLA VI.

LEONIS PAPÆ IX.

AD MICHAELEM CONSTANTINOPOLITANVM
ARCHIEPISCOPVM.

Gratulatur ei, quod Græcos Latinis conciliare studeret.

Arguit eum, tum quod patriarchas Alexandrinum & Antiochenum suæ potestati subiicere conaretur, tum quod vniuersalis patriarchæ nomen sibi usurparet, & Romanam ecclesiam, quæ in azymis sanctum eucharistia sacram conficiat, damnaret. Probat Christum in azymo consecrasse.

Leo episcopus seruus seruorum Dei dilecto confratri Michaeli Constantinopolitano archiepiscopo.

SCRIPTA tuæ honorandæ fraternitatis tandem ad nos peruererunt, in quibus ad maxime necessarium, omnibusque Christi fidelibus amplectendum bonum concordia & vnitatis exhortari studes: quatenus post nimium longas & pernicioſas discordias, filia ex propriæ matris reconciliatione exultet. Ad quod vtique te prouocant & præmonentem tanto promptius auscultare cupimus, quanto vigilantius animaduertimus hanc solam esse propriam & specialem virtutem piorum atque sanctorum: cum ceteræ virtutes bonis & malis esse possint communes, Domino sic præmonstrante: *In hoc cognoscet omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis adiuicem.* Et deiloquo Paulo protestante: *Pacem sequimini cum omnibus, & sanctorum, sine qua nemo videbit Deum.* Vnde plurimum tuæ fraternitati congratulamur in Domino, quoniam summum desiderium nostrum tua industria anticipasti: quod vtique si aliquo frigore caritatis pigritarēs exequi, nostra debueras solertia præueniri: nos enim, iuxta præfatum Apostolum, si fieri potest, cum omnibus hominibus pacem habere peroptamus, quanto magis ergo tecum, quem videmus ecclesiæ Dei valde vtilem & necessarium posse fore ministrum, si non transgredi laboraueris terminos quos patres nostri posuerunt? Et quia Christianæ perfectionis est pacificum esse, etiam cum inimicis

Concil. Tom. 25.

Nnn

Caritas vir-
tus propria
sanctorum.

Ioan. 13.

Hebr. 12.

Rom. 12.

pacis, spe correctionis, non consensu malignitatis, tanto
solicitus debemus omnes occasiones scandalorum de me-
dio tollere, quanto tenacius optamus pacis amicos reti-
nere. Plurima autem ex tua fraternitate intolerabilia ru-
mor iam diu pertulit ad aures nostras, quæ nos partim, quia
incredibilia videbantur, partim, quia nulla facultas inqui-
rendi talia concedebatur, indiscussa hucusque reliquimus.
Denique diceris neophytus, & non gradatim prosluisse ad

1. Tim. 3. episcopale fastigium, quod nullatenus esse faciendum &
Apostolus edocet, & venerabiles Canones interdicunt.
Hinc noua ambitione Alexandrinum & Antiochenum
patriarchas, antiquis suæ dignitatis priuilegiis priuare con-
tendens, contra omne fas & ius tuo dominio subiugare co-
naris. Quod quanto tuo periculo tentes, omnibus sanx
mentis patet; quandoquidem vana gloria & pompa seculi-
lari elatus, consilium diuinitatis antiquum super stabili-
mento columnarum suæ ecclesiæ * contendis, quasi ex fal-
lacibus diuitiis præiudicium facturus illi, qui cum vere &
singulariter diues esset, pauper pro nobis factus, de legit suæ
temporali nativitati opidulum, & speluncæ diuersorum,
non quodlibet regum palatum. Cuius exempla quisquis
horret, ad sortem illius pertinet, qui tunc per se, nunc au-
tem per suos satellites, dicere audet: *Ascendam super altitudi-
nem nubium, similis ero Altissimo. Sed non cogitationes meæ, cogi-
tationes vestræ: neque viæ meæ, viæ vestræ, dicit Dominus:* qui
*Hic deß
mutare
est ali-
quid inß
modi.*
I. ad. 14.
I. ad. 55.
Psal. 137.
Luc. 16.
Matt. 16.
dispergit superbos in furore suo, & respiciens omnem ar-
rogantem humiliat, & exurgit ut non præualeat homo, in
cuius conspectu non est Deus. Ne enim superbia propter
altitudinem suam se coniunctam putaret Deo, dicit Psal-
mista: *Alta a longe cognoscit excelsus Dominus.* Vnde per se-
metipsum testatur: *Quod altum est hominibus, abominabile
est apud Deum.* Qualis vero & quam detestabilis atque la-
mentabilis est illa sacrilega usurpatio, qua te vniuersalem
patriarcham iactas vbique & scripto & verbo, cum
omnis Dei amicus huiusmodi haec tenus horruerit hono-
rari vocabulo? Et quis post Christum conuenientius pos-
set insigniri hoc vocabulo, quam cui dicitur diuina vo-
ce: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam,*
&c. Verumtamen quia ille non inuenitur vniuersalis
apostolus dictus, quamuis princeps apostolorum sit con-

stitutus, nullus successorum eius tam prodigioso prænōmine consensit appellari penitus, licet magno Leoni prædecessori nostro, & successoribus ipsius, hoc sancta decreuerit Calchedonensis Synodus. Nempe animaduertebant non esse amicum sponsi, qui pro sponso vellet amari: quin potius paronymphum & lenonem antichristi, qui aduersatur & extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Ecce ille Ioannes vester, cuius vesanæ adinventionis adhuc heredes permanetis, qui, secundum Psal-^{Psal. 43.}
 mistam, per vos adhuc vocat nomina sua in terris suis, cum interiit non sumpsit omnia, neque descendit cum eo gloria eius ad infernum: quia cum in honore esset, non intellexit. Ipse a beatissimis pontificibus Pelagio & Gregorio successoribusque eorum pro hac insolentia anathematizatus, in sua pertinacia irreuocabilis periit, iamque per quadraginta & quādringentos annos suā contumaciā se-
 quaces præcipitare non cessauit. Quibus quid profuit superbia, & diuitiarum iactantia quid contulit? Transferunt ^{Sap. 5.}
 omnia velut umbra. Quid denique prodest homini, si totum mun-^{Matth. 16.}
 dum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Et quo-
 modo animas pro fratribus habetis ponere, qui inane no-
 men, & vniuersam ecclesiam scandalizans, dedignamini deponere? Resipisce ergo (rogamus) ab hac infania, ne illius consors tu quoque, quod absit, fias, de quo dici-
 tur: Omne sublime videt, & ipse est rex super uniuersos filios ^{Iob 41.}
 superbiæ. Illud autem quis non stupeat, quod post tot sanctos & orthodoxos patres, per mille & viginti a pas-
 sione Salvatoris annos, nouus calumniator ecclesiæ Latinorum emersisti, anathematizans omnes, & publicam persecutionem excitans, quicumque participarentur sa-
 cramentorum ex azymis? Quam præsumptionem tuam & fama nobis obtulit, & literarum sub nomine tuo ad Apulos datarum textus manifestauit, quæ violenter adstruere conantur fermentatum panem fuisse, quo Dominus apostolis suis corporis sui mysterium in cœna commendauit. Quod omnino falsum esse ex vtroque testa-
 mento facillime deprehenditur: quia qui non venerat soluere legem, sed adimplere, iuxta ipsius legis præceptum, ex azymis & vino vetus pascha adimpleuit, & protinus ex azymis & vino nouum, sicut aperte Lucas narrat, disci-

Pelagius II.
epistola 1.
Sanctus
Gregorius
epistolarum
lib. 6. epist.
4. & libro
7. epist. 30.

Concil. Tom. 25.

Nnn ij

Exod. 12.

pulis tradidit. Neque enim totis octo diebus illis fermentatum apparebat in omnibus finibus Israel, & apud quemcumque inueniebatur, peribat anima eius de populo suo. Quod si in cœna Domini Iesu apparuisset, aut ipse seu discipuli eius quoquo modo gustassent, iuste sicut præuatoriatores legis perirent, nec ipse Dominus diceret suis insidiatoribus : *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Nec esset opus falsos testes ad perdendum eum quærere, cum hoc solo perderetur iuste. Sed qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, quod passurus discipulis mandauit, euidenter per Apostolum, in quo loquebatur, com-memorans, inquit : *Epilemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiae, sed in æzymis sinceritatis & veritatis. Denique modicum fermentum totam massam corrumpit.* Vbi-cumque autem corruptio, ibi procul dubio naturæ dete-rioratio, & alicuius vitii suscep-tio.

*Joan. 8.**2. Pet. 2.**2. Cor. 13.**1. Cor. 5.**Matth. 12.**J. Reg. 19.*

Porro nostrum pascha ideo nouum dicitur, quia illud vetus præceptum est Israelitis in memoriam suæ egressio-nis ex Ægypto : istud vero Christianis in memoriam do-minicæ passionis, qua ad Patrem transiuit ex hoc mundo. Sed quia tam de his, quam de aliis, quibus nos calumniaris, latius a nostris nuntiis per alia scripta nostra, quæ deferunt, instrueris ; hic breuiter attigisse fit satis. Discat autem fra-ternitas tua saltem admonita caute & humiliter loqui, ne aliquando Dominus dicat & tibi : *Ex abundantia cordis os loquitur.* Scripsisti siquidem nobis, quoniam si vna ec-clesia Romana per nos haberet nomen tuum, omnes ec-clesiae in toto orbe terrarum haberent per te nomen no-strum. *Quid hoc monstri est, frater carissime ? Romana ecclesia, caput & mater ecclesiarum, membra & filias non habet ? Et quomodo potest dici caput aut mater ? Credi-mus enim propter quod & loquimur atque constanter profitemur : Romana ecclesia adeo non est sola, vel, sic-ut tu putas, vna, vt in toto orbe terrarum quæcumque natio dissentit superbe ab ea, non sit iam dicenda vel habenda ecclesia aliqua, sed omnino nulla : quin potius Conciliabulum hæreticorum, aut Conuenticulum schi-smaticorum, & synagoga satanae. Videris dicere illud sancti Eliæ, tunc præfumentis de se : *Relictus sum ego solus.* Sed audi quid ille audiuit a Domino : *Reliqui mihi septem millia virorū.**

Quiesce, quiesce iam, venerabilis frater, ab his superstitiōnibus, ne illud Salomonis in te dicatur: *Sunt qui se diuītes Pro. 13.*
affeſtant, nihil habentes. Simillimum nempe hoc est diabolice arrogantiæ, qui regna mundi a Conditore omnium facta putans sua esse, dixit illi: *Hæc omnia tibi dabo.* Igitur *Matth. 4.*
 hinc iam ad cor redeatur, & tam perniciosa scandala de medio tollantur, & tunc, secundum Psalmistam, *Loquetur Psal. 84.*
Dominus pacem in plebem suam, & super sanctos suos, & in eos
qui conuertuntur ad cor. Nam nos cum pertinacibus & in errore suo permanentibus pacem aliquam habere non possumus, ne operibus malignis communicemus: quia nec Dominum Christum alicubi talia fecisse inuenimus: cum etiam in natuitate ipsius angelii pacem annuntiauerunt solummodo bona voluntatis hominibus. Qui etiam oculum scandalizantem eruendum, manum vel pedem scandalizantes abscindendos insinuat.

Cessent ergo hæreses & schismata, & diligentibus legem Dei iam non erit scandalum, sed pax multa. Qui cumque gloriatur Christiano nomine, ccesset Romanam sanctam & apostolicam ecclesiam maledicere & lacesse: quia frustra patremfamilias honorat, quisquis eius vxorem exhonoret. Et frustra matrisfamilias caput & faciem magnificat, qui minimos filiorum eius impugnans, tamquam digitos pedum illius conculcat. Vnde in Ecclesiastico dicitur: *Quam malæ est famæ qui fugit patrem: & Eccles. 3.*
est maledictus a Deo qui exasperat matrem. Et in Proverbiis: *Oculum qui subsannat patrem, & despicit matrem, effodiant eum Pro. 30.*
corni de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ. Confidimus tamen ex diuina pietate, quod ab his innoxius aut correctus inuenieris, aut certe admonitus cito corrigeris. Quod dum fuerit effectum, pax nostra iam ad nos non reuertetur, sed super te requiescat, ceu super pacis filium: & regnabit inter nos germana caritas, de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta: nec neceſſe habebis nobis supplicare, sed iubere. Super hæc, sicut cœpisti, collabora, vt duo maxima regna connectantur pace optata. Orantem pro nobis tuam honorabilem fraternitatem sancta Trinitas in perpetuum conseruet. Data mensa Ianuario, indictione VII.

EPISTOLA VII.

LEONIS PAPÆ IX.

AD CONSTANTINVM MONOMACHVM
IMPERATOR EM.

Laudat eum, quod pacem inter Latinos & Græcos conciliare curet. Hortatur ut Romanam ecclesiam defendat. De arrogantia Michaelis Constantinopolitani conqueritur : legatosque commendat.

*Leo episcopus seruus seruorum Dei glorioſo & religioſo imperator iouae Romæ Constantino Monomacho,
dilecto filio, salutem.*

QVANTAS gratias referre iugiter debeamus creatri-
ci & gubernatrici omnium sanctæ & indiuiduæ Trini-
tati, super inenarrabili dono eius, quo operatur om-
nia in omnibus, etiam ex tua deuotione & religiosa indu-
stria, gloriosissime fili atque serenissime imperator, per-
pendere possumus: qui te talem nostris exhibuit, & gra-
tuita pietate prouidit diebus, cuius fida ope statum san-
ctæ & catholicæ ecclesiæ releuari, & terreni imperii
rempublicam meliorari confidamus. Tu enim post ni-
mium longas & pernicioſas discordias, primus pacis &
concordiæ monitor, portitor, & exoptatus exactor ef-
ficeris, & cum ipſo vase electionis humillimo Paulo di-
2. Cor. 5.
Ephes. 2.
Ecclesi. 3.
Prov. 1.
cere videris : *Pro Christo legatione fungentes, tamquam Deo
exhortante per nos, obsecramus reconciliamini propter eum qui
est pax nostra, qui facit utraque unum.* Etenim velut reli-
gioſa & egregiæ indolis proles, gemitus matris tuæ non
obliuisceris : nec contemnendam, quia ſenuit, ſed potius
reuerendam arbitraris, atque plenis caritate visceribus, ad
eam redire meditaris, vt vni Deo & Patri omnium tanto
fias carior & propinquior, quanto eidem principali matri
benignior atque humilior. Neque enim tuam prudentiam
latet, quod in Ecclesiastico habent : *Benedictio patris firmat
domos filiorum : maledictio autem matris eradicat fundamenta.*
Et illud : *Ne dimittas legem matris tuæ, liga eam in corde tuo
iugiter. Quæ utique prouerbia magis curant nobis com-
mendare matrem quæ ad æternam vitam nos generat &*

erudit, quam illam quæ ad mortem parit, & carnaliter diligit & instruit. Cui nisi illa successerit, vt regeneret & refoueat, ista procul dubio secundæ morti filios suos destinat. Porro hæc catholica mater & incorrupta virgo, quamuis omnem terram & fines orbis occupauerit membris suis & repleuerit, tamen vnum caput omnibus reuerendū & suspiciendum exerit & prætendit. *Quod* quicumque exhonorat, frustra se in ipsius membris computat. Illud autem quid sit, tua imperialis claritas omnino nouit: illud nimirum, quod Christi vox prætulit, & præminere voluit vniuersis, & subsequens ecclesiæ pietas & generalis sanctorum patrum consensus iugiter hactenus celebravit. Cuius venerabilem faciem tu quoque honorificare disponis, non ingratus illi quæ tuum verticem diademate terreni principatus decenter insigniuit, & tremendum & amandum populis effecit, & , vt in sempiternum regnes, chrismate adoptionis inunxit. Nempe ipsa antiqua & iam emerita Roma illum primum nobilissimum & religiosissimum Constantiñum, cuius genealogia gloriariſ, & potentia magnificariſ, cuiusque de nomine dictam urbem famosam regis, temporaliter edidit, nutriuit, prouexit, & super omnes mortales constituit, nec a beneficiis cessauit, donec eumdem æterni regni gloria cumulauit. Vnde multimoda gratiarum actione tuam excellentiam, gloriosissime fili, magnificando, tanto maiori super tua deuotione & recognitione replemur gaudio, quanto copiosior animarum numerus ex tuo regimine pendet, tuoque innititur exemplo. Et ideo non cessamus orare communem Dominum, per quem reges regnant, & principes iusta decernunt, vt in suo beneplacito te conseruet longæuum, & compleat in bonis desiderium tuum. Porro ego ipse qualiscumque apostolicae vicarius sedis, pro modulo humilitatis meæ & possibilitatis supplere laborans vicem mihi commissæ dispensationis, secundum deiloquum Paulum, *Væ mihi est, si non euangelizauero: necessitas enim mihi incumbit maxima*, posituro rationem æterno & districto Iudicii, propter vnius regimen ecclesiæ, *ex omnium ecclesiarum merito. Illa ergo sollicitudine, qua omnibus ecclesiis debo inuigilare, videns indisciplinatam & alienam gentem incredibili & inaudita rabie, & plusquam pagana im-

Prov. 8.

1. Cor. 9.

pietate aduersus ecclesias Dei insurgere passim, Christianos trucidare, & nonnullos nouis horribilibusque tormentis vsque ad defectionem animæ affligere, nec infanti, aut seni, seu femineæ fragilitati aliquo humanitatis respectu parcere, nec inter sanctum & profanum aliquam distantiam habere, sanctorum basilicas spoliare, incendere, & ad solum vsque diruere, sæpiissime peruersitatem eius redargui, commonui, obsecraui, prædictaui, opportune importuneque institi, terrorem diuinæ & humanæ vindictæ denuntiaui. Sed quia Sapiens ait: *Nemo potest corrigerem quem Deus despicerit, & stultus non corrigitur*; adeo obdurata & obstinata eius malitia permanit, vt de die in diem adderet peiora pessimis. Vnde non tantum exterio-
Ecclesi. 7. ra bona pro liberatione ouium Christi cupiens impende-
Rom. 13. re, sed superimpendi ipse peroptans, visum est mihi ad te-
 stimonium nequitiæ eorum, vel, si sic expediret, ad repres-
 sionem contumaciæ, humanam defensionem vnde cum
 que attrahendam fore, audiens ab Apostolo, principes
 non sine causa gladium portare, sed ministros Dei esse,
 vindices in iram omni operanti malum: & quia principes
 non sunt timori boni operis, sed mali: & reges atque du-
 ces missos a Deo ad vindictam malefactorum.

Suffultus ergo comitatu, qualem temporis breuitas & imminens necessitas permisit, gloriosi ducis & magistri Argyroi fidelissimi tui colloquium & consilium expetendum censui, non vt cuiusquam Nortmannorum, seu aliquorum hominum interitum optarem, aut mortem tractarem, sed vt saltem humano terrore resipiscerent, qui diuina iudicia minime formidant. Interea nobis eorum pertinaciam salutari admonitione frangere tentantibus, & illis ex aduerso omnem subiectionem facte pollicentibus, repentina impetu comitatum nostrum aggrediuntur: sed adhuc de victoria sua potius tristantur, quam latentur. Sicut enim tua pietas scribere curauit ad nostram consolationem, pro ista sua præsumptione maiorem in proximo expectant sibi superuenturam indignationem, post illam, quam experti sunt, suæ cateruæ diminutionem. Nos quoque diuinum adiutorium nobis adfore, & humanum non defore credentes, ab hac nostra intentione liberandæ Christianitatis non deficiemus, nec dabi-
 mus

mus requiem temporibus nostris, nisi cum requie sanctæ ecclesiæ periclitantis. Ad quam acquirendam & obtinen-
dam, habemus maximum ex diuina pietate solatum &
præsidium, carissimum atque clarissimum filium nostrum
imperatorem Henricum, cuius de die in diem expecta-
mus promissum & proximum aduentum, vt pote cum
procinctu & expeditione imperiali properantis ad no-
strum subsidium. Ad quod etiam superna gratia tuam se-
renitatem animauit, vt hincinde vobis duobus, velut tot-
idem brachiis, inimicam gentem ab ecclesia Christi pro-
pellentibus & procul effugantibus, afflictæ nunc Chri-
stianitatis releuetur decus, & reipublicæ reformetur sta-
tus. Et quia abundante iniquitate & refrigescente carita-
te, sancta Romana ecclesia & apostolica sedes nimium
diu obfessa fuit mercenariis & non pastoribus, a quibus
sua, non quæ sunt Iesu Christi, querentibus, deuastata
iacebat miserabiliter haec tenus, diuinum consilium voluit
meam humilitatem suscipere tantæ cathedræ pondus.
Quo licet plurimum mei imbecilles prægrauentur & de-
primantur humeri, non parum mihi subest sanctæ spei,
quandoquidem ex utroque latere tales adstant filii reli-
gione & potentia præclarissimi. Quapropter, deuotissi-
me fili, & serenissime imperator, collaborare nobis di-
gnare ad releuationem tuæ matris sanctæ ecclesiæ, & pri-
uilegia dignitatis atque reverentia eius, nec non patri-
monia recuperanda in tuæ ditionis partibus, sicut manife-
ste cognoscere poteris ex venerabilium prædecessorum
nostrorum seu tuorum scriptis & gestis. Tu ergo magnus
successor magni Constantini, sanguine, nomine & impe-
rio factus, vt fias etiam imitator deuotionis eius erga apo-
stolicam sedem, exhortamur: & quæ ille mirabilis vir
post Christum eidem sedi contulit & confirmauit & de-
fendit, tu iuxta tui nominis etymologiam, constanter ad-
iuua recuperare, retinere & defendere. Ita enim apud
Deum singulariter pugnans, cognominaberis, quod iam-
dudum inter homines cognominaris. Hoc sane gloriofis-
simus filius noster Henricus perficere molitur in suis parti-
bus. Quæ omnia nobis & vobis prouenient felicius & mul-
tiplicius, ubi, quantocius Dei gratia præueniente, & bea-
tissimis apostolorum principibus interuenientibus, & me

Alludit ad
cognomen
Monoma-
chi.

Concil. Tom. 25.

O o o

qualicumque vicario eorum mediante, & obtinente, firmissimum pacis & amicitiae inter vos ambos componuntur foedus.

Præterea confrater noster archiepiscopus Michael exhortatorias ad concordiam & unitatem direxit nobis litteras, quem ad tam optabile & necessarium bonum præmonentem tanto necesse est nos deuotius & alacrius suscipere, quanto perspicacius consideramus non posse computari inter discipulos Christi aliquem qui fraternæ paci deditigatur acquiescere, Domino suis dicente: *In hoc cognoscunt omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis adiuvicem:* & magno Paulo sic protestante: *Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Sed nuerit tua claritas super præsumptionibus eius multa & intolerabilia iamdudum peruenisse ad aures nostras, qualiter etiam aperta persecutione in Latinâ ecclesiam exardescens, anathematizare non timuit omnes qui sacramenta attrectant ex azymis: & quod Alexandrinum & Antiochenum patriarchas antiqua dignitate sua priuare contendens, contra fas & ius sibi subdere noua ambitione appetit, & pleraque quæ usurpare dicitur, sicut a nostris nuntiis diligenter cognoscere poteris. In quibus si, quod absit, pertinax fuerit, pacem nostram nullatenus retinere poterit: quia procul dubio *ad nos reuertetur*, sicut Dominus dicit, *si ille noluerit esse filius pacis.* Vnde & Apostolus: *Si fieri, inquit, potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Siquidem in vano patremfamilias honorat, qui vxorem eius exhonarat. Et frustra matrisfamilias caput & faciem magnificat, qui vel minimos filiorum eius impugnans, velut digitos pedum eius concusat. Contra quem sapientia Dei in Ecclesiastico sic intonat: *Quam malæ famæ est qui fugit patrem, & est maledictus a Deo qui exasperat matrem.* Confidimus tamen quod præueniente gratia Dei inuenietur innoxius ab his, aut correctus, aut cito resipiscet admonitus: & efficietur non qualis dicitur, sed qualis a nobis pie desideratur & speratur. Hinc iam tuæ gloriæ praesentes filios nostros sanctaque Romanæ & apostolicæ sedis nuntios per omnia commendamus, quatenus ut decet liberaliter suscipiantur, reuerenter habeantur, benigne & honeste tractentur, ratio-

Ioan. 13.

Hebr. 12.

Luc. 10.

Rom. 12.

Ecclef. 3.

nabiliter patienterque audiantur, atque quantocius nobis laudabiliter remittantur, ne tantum laborem illos frustra arripuisse pigeat, & nos mandasse pudeat. Porro ex Amalfitano episcopo nulla tibi suboriatur suspicio, quia Romanus est omnino, & ab Amalfitanis discedens, familiariter nobiscum viuit iam pene anno integro. Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis dignetur tuam excellentiam benedicere omni benedictione spirituali, repleteque omni gaudio & pace, ut in praesenti saeculo per longa tempora feliciter domineris, & in futuro sine fine cum Rege regum & Domino dominantium regno celorum beate perfruaris, honorabilis & desiderabilis nobis in Christo fili & gloriose Augste. Amen.

E P I S T O L A VIII.

L E O N I S P A P A E I X.

A D P E T R V M D A M I A N I E R E M I T A M .

Viri sancti zelum laudat: & incontinentiam clericorum detestatur, & puniendam rescritbit.

Leo episcopus seruus seruorum Dei dilecto in Christo filio Petro eremitæ æternæ beatitudinis gaudium.

Ad splendidum nitentis pudicitiae torum, fili carissime, pio certamine, intentionem tuae mentis peruenisse, libellus, quem contra quadrimodam carnalis contagionis pollutionem honesto quidem stylo, sed honestiori ratione edidisti, manifestis documentis commendat. Subegisti quidem carnis barbariem, qui sic erexisti brachium spiritus aduersus libidinum obsecratalem. Execrabile quidem vitium, longeque segregans ab auctore virtutum, qui cum sit mundus, nihil admittit immunandum. Nec de sorte eius esse poterit, qui sordidis illecebbris subiacebit. Clerici vero, de quorum vita spurcissima flebiliter, pariterque rationabiliter tua prudentia disputauit, vere, & omnino vere ad funiculum hereditatis eius non pertinent, de quo ipsi voluptuosis se oblectationibus submouent. Quod si pudice conuersarentur, non solum templum Dei sanctum, sed ipsum etiam sanctuarium

Concil. Tom. 25.

O o o ij

dicerentur, in quo niueo candore conspicuus ille Dei agnus immolatur, per quem foeda totius orbis lues laatur. Tales nimirum clerici, et si non verborum, operum tamen testimonio profitentur, quia non existunt quod censemur. Quomodo enim clericus esse possit vel nominari, qui proprio arbitrio non metuit inclinari?

*Et post multa ad extremum, ubi eiusmodi canonica censura coer-
cuit, hæc ad Petrum: Sed, fili carissime, inenarrabiliter gau-
deo, quia exemplo conuersationis instruis, quidquid ora-
toria facultate docuisti. Plus est enim opere docere quam
voce. Quapropter, auctore Deo, palmam obtinebis victoriæ,
& cum Dei & Virginis Filio lætaberis in cælesti man-
fione, & tot mercedibus eris cumulatus, quot ereptis
per te a diaboli laqueis fueris constipatus, & quodam-
modo coronatus.*

EPISTOLA IX.
LEONIS PAPÆ IX.
AD FRANCOS.

De rebus in Concilio Rhemensi gestis.

*Leo episcopus seruus seruorum Dei fratribus & filiis catholicis
per uniuersum regnum Francorum constitutis salutem
& apostolicam benedictionem.*

COMPERTVM caritati vestræ credimus, quod post consecrationem nostram, &c. Extat infra in fine actorum Concilii Rhemensis sub Leone.

DIPLOMA
LEONIS PAPÆ IX.

De concessa basilicæ Vaticanae decima oblationum.

BEATE Petre apostole, ego Leo episcopus seruus tuus, & omnium seruorum Dei, de tuis donis aliquam tibi offero particulam, quam mihi fuit visum dignum & iustum curis, quibus circumdor, auferre, & tibi offerre quasi meam, cum sit tua. Quidquid enim est quod in iuribus nostris sit, licet sit parum ad conferentiam præter-

itorum quæ nostri antecessores habuerunt, id tamen, quantumcumque sit, dignum tecum iudicari sortiendum. Ecce enim de oblationibus fidelium, quæ tibi offeruntur in altari tuo, sub quo sacrum & venerabile corpus tuum requiescit, & etiam in confessione ipsius altaris, decimam partem tibi, quamuis tuum totum sit, humili deuotione, & tota cordis prosternatione offerimus, donamus, concedimus, & etiam corroboramus, atque confirmamus ad constructionem & resarcitionem ipsius tui sacri templi, in ædificandis parietibus, picturis, tignis, tectis, imbricibus, & præterea luminariorum concinnationibus assiduis olei & ceræ, nec non lampadibus vitreis & acindulis, atque thymiamate, ceterisque omnibus vtenilibus, quæ ad usum & necessitatem atque decorum totius ipsius ecclesiæ pertinent. Decimam vero ipsam semper volumus esse decimam diem, ut oblatio quæ tibi debetur separata sit a ceteris oblationibus, & nullum aliqua confusione patiatur errorem.

Super hoc etiam, si qua vasæ, si qua ornamenta vel indumenta ecclesiastica super ipsum sacrum & venerabile altare tuum oblata fuerint ad cultum Dei, diuinis officiis & mysteriis necessaria, conferimus ea omnia ipsi tuae ecclesiæ ibi perpetuo permanens in usum & salarium Deo, & tibi illic seruientium, & seruiturorum.

Addendum quoque credimus illud oblationis munus, ut quidquid scilicet per fideles ad ipsum tuum altare, & ad ipsam confessionem offertur in vigiliis natalis tui, & in ipsa tui natalis die, beate Petre apostole, totum sit speciale tuum pro luminaribus, & ceteris diuersis necessitatibus, ad ipsa tua solennia agenda pertinentibus. Nec illud prætermittendum censuimus, ut quotiescumque de quibuscumque regnis vel oris tributa siue ad altare tuum offeruntur, siue ad apostolici pedes ponuntur, siue quovis modo apostolicæ sedi, cui, Deo auctore, præsidemus, persoluuntur, decima pars eorum semper tibi, beate Petre apostole, debeatur ad reformationem ecclesiæ tuae, & cetera quæ superius diximus.

Vt vero hæc omnia obseruentur illibata tam a successoribus nostris in sede tua, o beate Petre apostole, usque in finem sæculi secessuris, quam etiam cunctis hominibus, tam

Ooo iii

magnis, quam paruis, tam diuitibus, quam pauperibus, mediocribus, diuersi sexus & ætatis, statuimus apostolica censura, qualicet indigni fungimur, sub diuini iudicii obtestatione, & terribilis anathematis interpositione, ut scilicet quicumque contra hoc nostræ humilitatis donum tibi de tuo, beate Petre apostole, fideliter ac pure collatum venire tentauerit, & intemeratum non iustificauerit, non solum segregatus sit a communione fidelium in hac temporali vita; sed in illa quoque æterna damnatus sit perpetuis poenis, & gehennalibus tormentis. A contrario etiam, quicumque deuotus custos & cautus obseruator nostræ oblationis extiterit, diuinis benedictionibus augeatur, & hic per te, beate Petre apostole, a peccatorum vinculis absoluatur; & illic quoque per te intra ianuam regni cælestis admittatur.

Hoc itaque nostræ deuotionis priuilegium ut verius credatur, & certius habeatur, subscriptione nostra roborauius, & roboratum nostro sigillari sigillo iussimus, ad laudem & gloriam Domini nostri Iesu Christi, apud quem, beate Petre apostole, semper esto memor nostri & omnium ouium, quas suas ipse pascendas tibi commisit, & per nos miseratus pascit, & pascet adhuc per alios in sæcula sæculorum.

Ego Leo episcopus seruus tuus, beate Petre apostole, donum, quod tibi de tuo feci, manu propria roboraui.

EPISTOLA X.

LEONIS PAPÆ IX.

AD AVXIMANOS.

Post obitum episcopi expilatores domorum episcopalium redarguit.

Leo episcopus seruus seruorum Dei dilectis in Christo filiis omnibus Auximanis, clero & populo, salutem & apostolicam benedictionem.

QVIA auctore Deo sic nobis vnius ecclesiarum cura specialiter est commissa, ut per dignitatem apostolicæ sedis etiam ceterarum ecclesiarum generalis sit prouisio delegata, nostro competere videtur officio, non solum

quæ hactenus aduersus easdem ecclesias temerariis ausib⁹ sunt usurpata corrigere, sed etiam ne rursus eadem præsumantur in posterum prouidere. Peruersam autem & prorsus execrabilem quarundam plebium consuetudinem fama vulgante cognouimus: vt videlicet, suo defuncto episcopo, domum episcopi hostiliter irrumpentes inuidant, facultates eius prædonum more diripient, prædiorum domos incendant, vites insuper & arbusta bestiali immaniores feritate succidant.

Quod nimurum nisi ecclesiastici vigoris fuerit censura correctum, haud dubium, quia regionibus illis repentina furoris immineat gladius. Si enim honorare parentes pri-
mum dicitur in reprobatione mandatum, si maledicens patri vel matri mulctari morte præcipitur, cuius animadver-
sionis sententia digni sunt, qui non carnales genitores persequi gestiunt, sed ipsam matrem suam ecclesiam, in
qua ex aqua & Spiritu sancto regenerati sunt, vt viperinum genus dissipare contendunt? Etsi enim sacerdos qui-
libet ex debito humanæ conditionis obiit, sed Christus, qui animarum nostrarum episcopus est, ex virtute diuinitatis in æternum viuit. Sicut enim Paulus dicit, *Plures facti sunt Heb. 7.*
Sacerdotes secundum legem, eo quod morte prohiberentur permanere; Iesus autem, eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium. Deum ergo inhonorare conuincitur qui, mortali episcopo viuente, terrena pressus formidine ab ecclesiæ se læsione cohibuit, defuncto autem eo, ad iniuriam Christi, qui immortalis ecclesiæ sponsus est, fel odii & virus malitiæ, quod eatenus occultabat, effundit. Et fortasse episcopus in vita sua aliquem læsit? sed Christus, qui ecclesiæ custos relictus est, quid peccauit? Si ergo illi, qui nocuit, malum pro malo non redditur, cur æterno pontifici, qui nobis bona pro malis reddidit reue-
rentia non habetur? Verumtamen si ecclesiæ prædo Dei Filium immortalem procul dubio pontificem videret, si eum vbique præsentem omnia nosse ac posse consideraret, coram eius oculis admittere tam impium, tam sacrilegium facinus non auderet. Sed vere in illo compleetur quod per Psalmistam dicitur: *Dixit insipiens in corde suo, Non est Psal. 13. Deus.* Porro si illi, qui bona sua ecclesiæ conferunt, proprii reatus absolutionem felici commercio promerentur, sub-

Contra ex-
pilatores
domus epi-
scoporum.

sequenter autem illi, qui ecclesiasticas facultates barbarica feritate diripiunt, in æternæ suæ damnationis voraginem cadunt: qui nimurum nouo & incomparabili criminis genere sic Iudaicam perfidiam superant, vt non modo Gentilium errorem, sed & hæreticorum prauitatem detestabiliores excedant, a quibus videlicet Christus iterum crucifigitur, & corpus eius, quod est ecclesia, crudeliter lacratur.

Deprimatur ergo ausus illicitus & nefarius diabolice instigationis, cohibeatur excessus, abstineat manus audax ab ecclesiastico patrimonio, ne victus pauperum pereat: ne quod ex oblatione fidelium iam Deo factum est sacrificium, præda raptorum fiat. Quisquis autem huius nostri decreti improbus temerator extiterit, ex parte Dei omnipotentis, & auctoritate beatorum apostolorum Petri & Pauli anathematizandum esse decernimus, & vt reuera putridum membrum excommunicationis ferro a sanctæ ecclesiæ corpore detruncamus. Sit igitur, nisi resipiscat, anathema, maranatha, omnesque maledictiones Hebal super caput suum descendisse cognoscat. Observatoribus autem gloriam, & honorem, & incorruptionem quærentibus vitam æternam. Amen.

Deut. 27.

EPISTOLA XI.

LEONIS PAPÆ IX.

AD IOANNEM ARCHIEPISCOPVM SALERNITANVM.

Iura metropolitanatus eiusdem ecclesiæ confirmat.

Leo episcopus seruus seruorum Dei sanctæ & venerabili Salernitanæ ecclesiæ, quæ est beatæ & semper virginis Dei genitricis Mariæ, ubi etiam gloriosum Matthæi apostoli & euangelistæ corpus cum beato martyre Fortunato requiescit, & per eum confratri nostro Ioanni eiusdem ecclesiæ archiepiscopo in perpetuum.

OFFICIVM sacerdotale assumere, si interiori vigilancia perpendamus, oneris est magis quam honoris, quippe cui propria curare non sufficiat, nisi & salubriter gesserit aliena. Nam ad hoc pastoralis regiminis curam aggreditur, vt aliorum in se solitudinem pia prouisione suscipiat, vt in eorum se custodia vigilanter disponat, ne nostra

nostra forte desidia inuidus hostis rabida (quod absit) quempiam fauce deglutiat, & eorum ad nostram non im- merito applicetur poenam perditio, qui commissos solici- ta custodire cautela negligimus.

Exhibeamus ergo quod dicimus, & quibus diuini dis- pensatione consilii præesse nos contigit, prodesse quan- tum possumus festinemus, vt dum creditor rationem no- biscum positurus adienerit, lucrum nos fecisse reperiatur, & sua (sicut promisit) remuneratione lètificet. Et quo- niam ad præsens ecclesiam istam nullis bonis nostris hono- rare , ditare , vel, vt oportet , adaugere possumus , sua sibi confirmare , & indiscessa vel imminuta pia deuotione cen- semus conseruare. Vnde fratris Ioannis archiepiscopi pe- titioni libentissime annuentes , hoc apostolatus nostri pri- uilegium fieri decreuimus , statuentes apostolica censura, vt quæcumque imperatores, reges, principes, aut qui nunc clare principatur Guaimarius, ad hanc domum Domini contulit bona , vel omnia a quibuscumque Christi fideli- bus concessa, vel in perpetuum sunt concedenda, rata sem- per & inuiolata permaneant.

Confirmamus etiam tibi ipsum ex integro archiepisco- patum Salernitanum cum sibi adiacentibus parochiis suis. Et insuper licentiam & potestatem damus ordinandi & consecrandi in his subiectis nobis locis , hoc est Pestanen- sem episcopatum cum parochiis & adiacentiis suis , & No- lanum , & Consanum cum parochiis & adiacentiis suis , nec non Maluitanum , & Cusentinum , simulque episco- patum Bisunianensem , atque episcopatum Acerentinum cum omnibus parochiis & adiacentiis eorum. Nec non li- ceat tibi ordinare episcopos super congruentia loca, secun- dum regulam sanctorum patrum , in ipsa integritate Saler- nitani archiepiscopatus. Et non habeant potestatem suc- cessores nostri in cunctis prædictis episcopatibus, quos vo- bis apostolica auctoritate concessimus , deinceps in per- petuum episcopos consecrare, quemadmodum vobis con- cesso est.

Si quis autem contra huius nostræ præceptionis priuilegium agere præsumperit , aut præsummentibus conser- fit, aut fautor extiterit, & non potius obseruare eum in integrum studuerit, sed nostram apostolicam hanc præce-

Concil. Tom. 25.

PPP

ptionis interdictionem transgredi præsumperit , sciat se auctoritate beati Petri apostolorum principis cælorum regni clauigeri , nostroque anathematis vinculo & innotatum , & a regno Dei alienatum , atque cum diabolo & eius atrocissimis * pompis , transgressorem sanctorum patrum canonica traditione deputatum . Quoniam scriptum est : Terminos patrum nostrorum nulla auctoritate illicitæ temeritatis transgredi præsumi . Et quia opportunitatis exigit ratio , proteruos ac transgressores ex canonice correctionis freno debere constringi ; illius insuper * speciali iaculo perdat animam , cuius temporali gladio Malchus amisit auriculam . Qui vero huius nostri priuilegii constitutionem & confirmationem obseruauebit , a Domino Deo benedicatur , & æterni regni , beato interueniente Matthæo euangelista , particeps effici me reatur .

Datum x i . Kalendas Augusti per manus Friderici diaconi , sanctæ apostolicæ sedis bibliothecarii & cancellarii , & domini Hermanni Colonensis archiepiscopi & archicancellarii , anno domini Leonis IX . papæ tertio , indictione iv .

D I P L O M A
L E O N I S P A P Æ I X .
D E C O R P O R E S . D I O N Y S I I .

In Saluatoris nostri Iesu Christi nomine . Amen .

Leo episcopus seruus seruorum Dei clarissimo filio inclito regi Francorum , ac venerabilibus fratribus archiepiscopis , episcopis , & dilectis in Christo filiis abbatibus , prioribus , præpositis , & decanis , uniuersisque tam subditis quam prelatis eiusdem regni , salutem & apostolicam benedictionem .

DEVS omnipotens , qui non immerito per Prophetam in sanctis suis esse mirabilis prædicatur , mira quadam inscrutabilis consilii sui profunditate disponit , quæ dum considerare non sufficit mens humana , ipsa suimet infirmitate deficiens , in quemdam sui excessum rapi cogitur & stuporem . Quod ipsi nos nuper experti , & vobis in Christo carissimis , & vniuersitati fidelium promulgare compellimus , ut & Dei opera pariter admirremur . Nam

cum per instantiam serenissimi imperatoris Henrici ad partes Germaniæ visitandas , ac præcipue ad vrbem quæ dicitur Ratispona , vel Regenspurg , euocati essemus ad venerabile corpus beati Vvolfgangi eiusdem vrbis episcopi transferendum , hoc ea qua decuit reuerentia & deuotione peracto , tui , Francorum rex in Christo fili carissime , nos legati , tuorumque omnium vice solliciti rogarunt , quatenus litem , quæ inter vos & vrbem prædictam super facrosanctis ossibus beatissimi Dionysii Areopagitæ diutissime ventilatam , veritate discussa , dirimere curaremus ; vobis quidem eadem apud vos esse dicentibus , ciuibus autem atque incolis vrbis præfatæ astruentibus e conuerso ea per inuictissimum Arnulphum quondam imperatorem ade ecclesiam beati martyris Emmeranni esse translata , ibi demque deinceps contineri . Quæ quidem ecclesia inibi sita est , atque ab omni aliorum subiectione ac iurisdictione libera & excepta ad ius & proprietatem beati Petri apostolicae sedis immediate pertinere dognoscitur , oblatione videlicet excellentissimi Romanorum imperatoris Caroli Magni , ac posterorum ipsius , qui eidem haetenus succeserunt , seu in imperio , seu in regno . Id ipsum nihilo minus venerabilis abbas Reginuardus ac fratres eiusdem ecclesiæ cum vniuersitate Ratispona instantissime petiuerunt fieri .

Nos ergo vtriusque partis precibus inclinati , nec volentes vterius corda fidelium huius dubii ambiguo caligare , in fratum nostrorum ac plurium episcoporum ac prælatorum præsentia & conspectu , scripta Arnulphi Augusti , ordinemque rei diligentissime perlegentes , nec eo contenti capsas , thecas & scrinia , in quibus sacræ reliquiae conditæ dicebantur , ac titulos ac epigrammata eorumdem oculo tenus solerti examine discutiendo , nihilque omittendo quod ad indagationem certitudinis pertinet , tam imperialibus quam papalibus antecessorū nostrorum literis sufficienter instructi , picturis quoque parietum multiplicibus , & sculpturis vetustissimis , exprimentibus indicia veritatis & notas , indubitata fide comperimus , dicti doctoris & martyris ossa venerabilia , excepta particula vñica simul & minima manus dextræ , apud memoratum B. Emmeranni cœnobium integraliter contineri . Etenim ,

Concil. Tom. 25.

PPP ij

ne testimonia hominū, quæ iam diximus, non sufficerent, diuina quoque non defuere prodigia & portenta, quæ dubium omne penitus abegerunt: quæ nos quoque conscribi iussimus diligenter, vobisque transmitti per vestros nuntios ac legatos, nec non apud ecclesiam prædictam perpetuo conseruari; vt & ad posteros gestæ rei notitia deducatur, & ulterius litigandi materia penitus conqueſcat. Insuper & districte præcipimus, statuentes, vt translationis ipsius veneranda solennitas, tam a fratribus eiusdem ecclesiæ quam ab vniuersis vrbis iam dictæ, annis singulis cum omni iucunditate & gaudio celebretur, totaque tripudiet regio Germanorum tanti patris atque patroni aduentui non ingrata.

Vos autem in Christo dilectissimi filii rex Francorum, tuique fideles, quamvis inuidendi Teutonicæ genti videamini iustum quidem habere materiam, ita vt putatis merito de Alemannorum vobis lætitia sit dolendum; considerantes tamen & Dei omnipotentis & inuidi martyris sui voluntatem, quem ablatum plangitis, consolationis tandem admittite placamentum, pensantes attentius, quod nec vobis ablatus est, quippe qui carissimos prædicationis suæ & passionis confortes, Rusticum & Eleutherium, in dilectionis adhuc & tutelæ pignus & certitudinem dereliquit: nec dolete si Germanos iam visitare dignatus est vel defunctus, qui vobis adhuc viuens prædicauit, & apud vos bonum certamen certando, cursum consummando, fidem seruando, triumphum peregit victoriosissimæ passionis, apostolatus sui super vos signa tam in vita perficiens, quam in morte.

Qui igitur Alemanniam ipsius ossa fouere non permittatis in solatium & tutelam, quem vobis Athenæ, vt Christo lucrifaceret vos, viuum recipere, audire, & cælo transmittere permiserunt? Accedet nihil minus consolationis & alia ratio, & auctoritas scilicet & excellentia subtractoris. Preciosum quidem thesaurum vos perdidisse fatemur, sed ablatoris attendite dignitatem: simulque patris & apostoli vestri gloriae congaudete, qui cum vos meritorum atque doctrinæ suæ gaza ditauerit, & reliquiarum saltem suarum * ac apothecas tam deuotum furem sui corporis habet quam insignem, auro vtique

& topazio meliorem, qui sui valore ad ossa sua sanctissima subtrahenda Cæsareum etiam verticem inclinavit. Nec maiestas imperialis, nec regia celsitudo, pii furis hic notam aut nomen erubuit in Arnulpho, dummodo beati corporis opibus vel doli, vel furti, vel sacrilegii modo sacrari atque ditescere mereretur: qui fures atque sacrilegos erat solitus condemnare, dummodo macarii Dionysii precioso corpore frueretur, fur ipse tunc fieri & sacrilegus non contempsit.

Cum insuper fides atque deuotio dubium etiam omne per hoc penitus amputauit, quod non in ipsa Roma, non in quacumque metropoli, non in vrbe qualibet regni vel arce sibi studebat eligere sepulturam, sed vbi suum se Dionysium condidisse & sciunt & latantur, suo se sperans patrocinio defendendum, & conresuscitandum in die nouissimo cum beatis. Præsentibus igitur dilectionem vestram monemus attentius, & hortamur in Domino, districte præcipientes, quatenus Rustico & Eleutherio pie contenti, non fallentes vosmetipos & alios, beatissimi Dionysii ossa in vrbe Ratisponæ apud ecclesiam beati Emmeranni martyris & noscatis & fateamini coruscare.

Datum & actum Ratisponæ per manus Friderici diaconi bibliothecarii & cancellarii sanctæ Romanæ ecclesiæ catholicæ & apostolicæ, anno Domini millesimo quinquagesimo secundo, anno pontificatus domini Leonis noni papæ quarto, indictione * quinta, Nonis Octobris.

COMMEMORATIO BREVIS

RERVM A LEGATIS APOSTOLICÆ SEDIS

CONSTANTINOPOLI GESTARVM.

*Incipit brevis & succincta commemoratio eorum quæ gesserunt
apocrisiarii sanctæ Romanæ & apostolicæ sedis in regia
vrbe, & qualiter anathematizarunt Michaelem
cum sequacibus suis.*

ANNO duodecimo imperii Constantini Monomachi Res gestæ
per legatos
apostolicos
Constanti-
nopolis. indictione septima, ipso die nativitatis beati Ioannis Baptistæ, aduenientibus a domno papa Leone nono apocrisiariis sanctæ Romanæ & apostolicæ sedis, Humberto

Ppp iij

scilicet cardinali episcopo Siluæ candidæ, & Petro Amal- phitanorum archiepiscopo, Friderico quoque diacono & cancellario, ad monasterium Studii intra urbem Constan- tinopolitanam, Niceta monachus, qui & Pectoratus, ante præsentiam præfati imperatoris, & procerum eius, in- sistentibus ipsis nuntiis Romanis, anathematizauit quod- dam scriptum sub suo nomine contra sedem apostolicam & omnem Latinam ecclesiam editum, & prætitulatum de azymo, de sabbato, & de nuptiis sacerdotum. Insuper a- nathematizauit cunctos qui ipsam sanctam Romanam ecclesiam negarent primam omnium ecclesiarum esse, & qui illius fidem semper orthodoxam præsumerent in aliquo reprehendere. Post hæc statim in conspectu om- nium, ad suggestionem eorumdem nuntiorum Romano- rum, iussit idem orthodoxus imperator præfatum incen- di librum, sicque fuit discessum.

Niceta Pe-
ctoratus
cantat pa-
linodiam.

Humberti
scripta in
Græcum
translata.

Excommu-
nicatur Mi-
chael pa-
triarcha
Constitu-
nus.

Matth. 10.

Sequenti autem die prædictus Niceta vrbe egressus vi- tro adiit ipsos legatos intra palatium Pigi, a quibus acci- piens perfectam suarum propositionum solutionem ite- rum sponte anathematizauit omnia dicta, & facta, vel ten- tata aduersus primam & apostolicam sedem. Sic ab eis in communionem receptus, effectus est eorum familiaris amicus. Porro dicta vel scripta eorumdem nuntiorum aduersus diuersas calumnias Græcorum, & maxime contra scripta Michaelis Constantinopolitani episcopi, & Leonis Acriani metropolitani episcopi, atque sæpe dicti Nice- tæ monachi, iussu imperatoris in Græcum fuere transla- ta, & in eadem vrbe hactenus conferuata. Tandem Mi- chaele præsentiam eorum & colloquium deuitante, at- que in stultitia sua perseuerante, præfati nuntii decimo septimo Kalendas Augosti adierunt ecclesiam sanctæ So- phiæ, & super obstinatione illius conquesti, clero ex mo- re ad Missas præparato, iam hora tertia, die sabbati, char- tam excommunicationis super principale altare posue- runt sub oculis præsentis cleri & populi. Inde mox egref- si, etiam puluerem pedum suorum excussere in testimo- nium illis, iuxta dictum euangelii, proclamantes: *Vi- deat Deus, & iudicet.* Hinc ordinatis ecclesiis Latinorum intra ipsam Constantinopolim, anathemate dato cunctis qui deinceps communicarent ex manu Græci Romanum

sacrificium vituperantis, in osculo pacis, accepta orthodoxy imperatoris licentia, donisque imperialibus sancto Petro & sibi, alacres cœpere reuerti decimoquinto Kalendas Augusti.

Sed nimia instantia precum Michaelis, spondentis tunc demum se conflicturum cum eis, imperator compulsus a Solembria literis suis eos reuocauit decimotertio Kalendas Augusti. Quo etiam die festinantes regressi diuerte-
Legati apostolici profecti reuocati.
Machinatio contra legatos apostolicos.
runt ad palatium Pigi. Quos præfatus hæresiarcha comperiens rediisse quasi ad Concilium, conabatur adducere in ecclesiam sanctæ Sophiæ sequenti die, vt ostensa charta illorum, quam omnino corruperat transferendo; obruerentur ibidem a populo. Quod prudens imperator præcauens, noluit haberi aliquod Concilium, nisi & ipse adesset præfens. Cumque in hoc ei omnimodis Michael contradiceret, iussit Augustus ipsos nuntios confessim arripare iter. Quod & factum est.

Porro vesanus Michael dolens suas non procedere ini-
Comitatus populus contra imperatorem.
dias, concitauit imperatori seditionem vulgi maximam, velut nuntiis cooperata fuerit eius voluntas. Vnde imperator coactus interpretes Latinorum, Paulum videlicet, ac filium eius Smaragdum cæsos & detentos Michaeli tradidit; sicque tumultus ille conquieuit. Verum imperator post nuntios Romanos directis suis, exemplar excommunicationis veracissimum a ciuitate Russorum sibi remissum accepit, ciuibusque ac tandem Michaelem falsasse chartam legatorum comperit, atque conuicit. Itaque commotus amicos & affines ipsius honoribus priuatios a palatio eliminavit; contraque ipsum usque nunc graves iras retinuit. Denique exemplar chartæ excommunicatorię est tale:

Humbertus Dei gratia cardinalis episcopus sanctæ Romanae ecclesiæ, Petrus Amalphitanorum archiepiscopus, Fridericus diaconus & cancellarius, omnibus catholicae ecclesiæ filii sancta Romana prima & apostolica sedes, ad quam tamquam ad caput sollicitudo omnium ecclesiarum specialius pertinet, ecclesiasticæ pacis, & utilitatis gratia ad hanc regiam urbem nos apocrisiarios suos facere dignata est, ut iuxta quod scriptum est, descendemus, & vide-remus, utrum opere completus sit clamor, qui sine inter-

Libellus ex communicationis contra Michaelem patriarcham.

missione ex tanta vrbe concendit ad eius aures: aut si non est ita, vt sciret. Quamobrem cognoscant ante omnia glorioſi imperatores, cleruſ, ſenatus & populuſ huius Constantinopolitanæ vrbis, & omniſ ecclesiæ catholicæ, nos hic persenſiſſe magnum, vnde vehementer in Domino gaudeamus, bonum, & maximum, vnde miserabiliter contristemur, malum. Nam quantum ad columnas imperii, & eius honoratoſ, atque ciues sapientes, Christianiſſima atque orthodoxa eſt ciuitas: quantum autem ad Michaelē abuſiue * dicatum patriarcham, & eius ſtultiæ fau-^{alies}tores, nimia zizania hæreſeon quotidie ſeminantur in ^{dictum} medio eius.

Errores Mi-
chaelis &
fociorum.

Quia ſicut ſimoniaci donum Dei vendunt. Sicut Valeſi, hospites ſuos caſtant, & non ſolum ad clericatum, ſed insuper ad epifcopatum promouent. Sicut Ariani, reba-ptizant in nomine ſanctæ Trinitatis baptizatoſ, & maxime Latinoſ. Sicut Donatiſtae affirmant, excepta Græcorum ecclesiæ, ecclesiæ Christi, & verum ſacrificium atque baptismum ex toto mundo periiffe. Sicut Nicolaitæ carnales nuptias concedunt & defendunt ſacri altariſ mi- niſtris. Sicut Seueriani maledictam dicunt legem Moysiſ. Sicut Pneumatomachi vel Theomachi abſciderunt a ſymbolo Spirituſ ſancti proceſſionem a Filio. Sicut Manichæi inter alia quodlibet fermentatum fatentur anima- tum eſſe. Sicut Nazareni carnalem Iudæorum mundi- tiam adeo feruant, vt paruulos morienteſ ante octauum a natuitate diem baptizari contradican, & muliereſ in menſtruuo vel partu periclitanteſ communiceſ, vel ſi pa- ganae fuerint, baptizari prohibeant, & capilloſ capitii, ac barbaſ nutrientes, eos qui co-amas tondent, & ſecundum iſtitutionem Romanae ecclesiæ barbaſ radunt, in com- munione non recipiant.

Pro quibus errorib⁹ & aliis pluribus factis ſuis ipſe Michael literis domini noſtri Leonis papæ admonitus reſipiscere contempſit. Inſuper nobis nuntiis illius cauſas tantoruſ malorum rationabiliter reprimere volenteſ præſentiam ſuam & colloquiuum denegauit, & ecclesiā ad Miſſas agendum interdixit. Sicut & priuſ Latinoruſ ecclesiā clauerat, & eos Azymitas vocans verbiſ & factis ubique perſecutus fuerat, intantum, vt in filiis ſuis anathe-

anathematizasset sedem apostolicam, contra quam se ad-huc scribit oecumenicum patriarcham. Vnde nos quidem sanctæ primæ & apostolicæ sedis inauditam contumeliam & iniuriam non ferentes, catholicamque fidem subrui multis modis attendantes, auctoritatem sanctæ & individuæ Trinitatis, atque apostolicæ sedis, cuius legatione fungimur, & cunctorum orthodoxorum patrum ex Conciliis septem, atque totius ecclesiæ catholicæ anathemati, quod dominus noster reuerendissimus papa eidem Michaeli, & suis sequacibus nisi resipiscerent, denuntiauit, ita subscribimus: Michael abusivus patriarcha, neophytus, & solo humano timore habitum monachorum adeptus, nunc etiam criminibus pessimis a multis diffamatus, atque cum eo Leo Acridanus episcopus dictus, & facellarius ipse Michaelis Constantinus, qui Latinorum sacrificium profanis conculcauit pedibus, & omnes se quaces eorum in præfatis erroribus & præsumptionibus sint anathema maranatha cum Simoniacis, Valesiis, Arianiis, Donatistis, Nicolaitis, Seuerianis, Pneumatomachis, Manichæis, & Nazarenis, & cum omnibus hæreticis, imo cum diabolo & angelis eius, nisi forte resipuerint. Amen, Amen, Amen. Post hæc mox ista:

Item alia excommunicatio ibidem facta in præsentia imperatoris, & optimatum eius viua voce.

Quicumque fidei sanctæ Romanæ & apostolicæ sedis, eiusque sacrificio pertinaciter contradixerit, sit anathema maranatha, nec habeatur Christianus catholicus, sed Prozimita hæreticus. Fiat, fiat, fiat.

E P I S T O L A XII.
L E O N I S P A P A E I X.
AD PRINCIPES BRITANNIÆ.

*Leo sanctæ sedis apostolicæ gratia Dei papa E. Britonum principi,
& Analo comiti, & ceteris principibus Britanniæ,
secundum Deum vivere volentibus,
vita & salus.*

IN scriptis veterum reperimus, omnes episcopos tuæ patriæ archiepiscopo Turonico subiectos esse debere:

Concil. Tom. 25.

Qqq

de qua re Nicolai papæ temporibus, & Ioannis, Leonis, que, & ceterorum, quorum nomina inserere longum est, clamor factus est. Ex quibus Nicolaus papa literas Salomonis regi Britonum direxit, in quibus præcipit, ut omnes suæ patriæ episcopi Turonicæ ecclesiæ subiecti sint. Alii vero apostolici eosdem apostolica auctoritate ob id excommunicauerunt, ad nos quoque in Rhemensi Concilio clamor huiusmodi delapsus est. Nos statim ut ipse vester archiepiscopus cum suis subiectis Romano Concilio præsens adfuit, non solum de hac causa redditurus rationem, sed etiam de hoc quod simoniacus cum suis suffraganeis esse comprobatur & exlex, quærens quæ sunt mundi, non quæ Iesu Christi, legatos etiam Turonici archipræsulis adesse præcepimus. Legati Turonici adfuerunt, vestrates pontifices cum suo capite se subtraxerunt. Nullo itaque modo probare potuimus illum vestrum præfulem archiepiscopum esse debere, præfertim cum archiepiscopus sine sede ciuitatis, sine pallio archiepiscopali nequeat haberi. Excommunicamus omnes hos, de quibus sermo est, ex auctoritate Dei Patris, & Filii, & Spiritus sancti, sanctique Petri & nostra, non solum propter hanc præsumptionem, qua subiici Turonicæ ecclesiæ designantur, sed etiam propter simoniacam hæresim qua polluti sunt, & ordinatos a se contaminare videntur; tali ratione, ut diuinum officium non peragant, neque audiant, neque benedictionem tribuant. Simili etiam sententia ab eis ordinati feriantur. Tibi autem, carissime fili, mandamus, ut te ab eorum conuentibus cum omnibus fidelibus subtrahas, deinde eos commoneas, ut nostris præceptis obsecundent, simoniacam hæresim deponant, secundum Deum viuant. Et hoc te auctoritate hortamur apostolica, ut per totum regnum tibi commissum pacem facias, iustitiam diligas, subditos pie regas. Turpe est enim, ut cum unus ex maximis Galliæ principibus habearis, naturalibus his vitiis subiugaris. Et si secundum Deum te viuere audiero, bonumque exemplum præbere subiectis, benedictione sancti Petri & nostra donaberis: si aliter egeris, & excommunicatis te adiunxeris, ut illi, nostra auctoritate excommunicatus sis. Quod si vester archiepiscopus cum

suis suffraganeis de hoc quod Turonicus pontifex clamat,
deque simoniaca hæresi excusare se rationabiliter value-
rint, Vercellensi Concilio Kalendis Septembris futuro
præsentes sint, nosque ibi, si Deus permiserit, erimus,
causas eorum audituri. Vale.

EPISTOLA XIII.

LEONIS PAPÆ IX.

AD EDVARDVM REGEM ANGLORVM.

*Extat in Conuentu Vuſtmonaſterienſi anno Domini 1066.*CIRCA
ANNVM
CHRISTI
1050.LEGES ECCLESIASTICÆ
MACCABÆI REGIS SCOTORVM
e ſæcularibus suis depromptæ.

CHristo initiatum ad profanum iudicem non voca-
to: vocatum comparentemve non iudicato, sed ad
facros antistites remittito.

Hector
Boethius
historiae
libro 12.

Decimam partem terræ naſcentium pastoribus eccl-
eſiarum libere conferto, Deumque ſemper votis & obla-
tionibus conſuetis adorato.

Qui pontificis auſtoritatē annum totum execratus
contempſerit, neque ſe interim reconciliarit, hostis rei-
publicæ habetor: qui vero duos annos in ea contumacia
perfeuerarit, fortunis omnibus multator.

Si quis quempiam, cuius ipſe ſumptibus aut vietu non
alitur quotidiano, ad eccleſiam, ſeu ad publicum Con-
uentum, ſeu ad forum nundinasve comitatus ut affecla
fuerit, capitis reus eſto.

Concil. Tom. 25.

Qqq ii

CANONES AELFRICI
AD VVVLFINVM EPISCOPVM.

CIRCA
ANNVM
CHRISTI
1052.

Habentur Canones isti ad finem libri catholicorum sermonum, Anglice in ecclesia recitandorum, in celebri bibliotheca Corporis Christi, vulgo sancti Benedicti Cantabrigiae, prout sequuntur:

EPISTOLA DE CANONIBVS.

Aelfricus humilis frater venerabilis episcopo Vulfino salutem in Domino.

OBTTEMPERAVIMVS iussioni tuæ libenti animo, sed non ausi fuimus aliquid scribere de episcopali gradu, quia vestrum est scire quomodo vos oporteat optimis moribus exemplum omnibus fieri, & continua admonitionibus subditos exhortari ad salutem, quæ in Christo Iesu dico, tum quod sæpius deberetis vestris clericis alloqui, & illorum negligentiam arguere, quia pene statuta Canonum & sanctæ ecclesiæ religio vel doctrina eorum perueritate deleta sunt: ideoque libera animam tuam, & dic eis quæ tenenda sunt, sacerdotibus & ministris Christi, ne tu pereas pariter, si mutus habearis canis. Nos vero scriptitamus hanc epistolam, quæ Anglice sequitur, quasi ex tuo ore dictata sit, & locutus esset ad clericos tibi subditos, hoc modo incipiens:

I.

Dico vobis sacerdotibus ego ipsem: Non feram negligentiam vestram in vestro ministerio, sed in veritate vobis annuntiabo, quid de sacerdotibus constitutum est. Christus ipse nobis exemplum præbuit Christianæ institutionis, & puritatis vitæ, seu castitatis. Omnes igitur, qui in via sua secum ambulauerint, mundana omnia reliquerunt, ne vxores respicientes: vnde ipsem in quodam euangeliorum suorum ait: *Qui uxorem suam non odit, indignus est meus esse discipulus.*

II.

Post Christi vero ascensionem in regnum cælorum, & post excessum venerabilium eius apostolorum, tanta excitata est in terrarum medio persecutio, vt ad Synodus congregari nequibant ministri Dei, propterea quod eo-

Christus
exemplum
castitatis.

Luc. 14.

Persecutio
post Chri-
stum impe-
dit Syno-
dos.

rum vitis insidiabantur gentes ethnicæ, donec Constantinus Cæsar imperium orbis afferens Christianus fieret.

III.

Tunc congregauit ille in Nicæa ciuitate 318. episcopos ex omnibus nationibus ad confirmandam fidem catholica-
cam. Erant in hac Synodo multi episcopi insignibus clari
miraculis, & hi Missalem quemdam sacerdotem, Arium
nomine, telo anathematis perstrinxerunt, quod non cre-
deret Filium Dei viuentis in perpetuum æqualis esse po-
tentiae cum Patre suo gloriose, ipsumque igitur satanæ
tradiderunt omnes, sed is noluit respicere, vsquedum
effusa cum alio intestina sua in latrinam viderat.

IV.

In hac Synodo instituta fuit sanctæ ecclesiæ liturgia, & fidei symbolum quo in Missa utimur, nonnullaque alia ad cultum & seruitum Dei pertinentia.

V.

Decreuerunt iam tum omnes vnanimi cogitatione, vt neque episcopus, neque sacerdos Missalis, neque diaconus, nec qui vere est canonicus, in domo sua secum habe-
ret aliquam mulierem, nisi matrem vel sororem suam,
amitam vel materteram suam: & qui aliter fecerit, ordine
& gradu suo priuaretur.

Canon Ni-
cænus 3.
Sacerdos
non habeat
mulierem
in domo.

VI.

Considerate igitur digna hæc auditu, cum enim habue-
ritis ecclesiæ vestræ solitudinem, e contrario adduct quasi periculosum non esset, sa-
cerdotem viuere more coniugati *. Sed dicetis eum haud
posse carere muliebribus seruitiis. Respondeo: Quonam
paæt vitam transegerunt sancti olim viri absque femina
vel vxore, qui in mercede casti sui animi vita nunc fruun-
tur sempiterna? Ad hoc dicent sacerdotes, Petrum ha-
buisse vxorem, verum est, sub lege enim veteri (dum in
Christi adhuc non venisset clientelam) bene elicit: quam-
primum autem factus est discipulus Christi, qui castita-
tis exemplum præbuit, vxorem dereliquit, & mundana
omnia.

Ecclesia
coniux sa-
cerdotis.

* vel ho-
minis
plebei.

VII.

In lege veteri pontifici licuit vxorem sibi sumere pu-
ram virginem, & ex ea prolem suscitare vsque in tempus

In hoc dif-
ferunt nous
lex & ve-
sus.

Qqq iii

constitutum , propterea quod ex vna tantum familia ad eundem ordinem , & non ex alia vnquam consanguinitate , cooptandus esset pontifex . Nec tamen ei licuit plures quam semel vxorem ducere , nec hanc viduam aut repudiatam , sed , vt iamiam diximus , puram virginem . Bene tamen sub iis saeculis vxore fruerentur : neque enim Missam celebrabant , nec sacramentum corporis & sanguinis Christi administrabant , sed boues offerebant , usque dum Christus ante passionem suam illud sacramentum sanctificauerat , Missamque instituerat . . . modo per eum exist . . .

VIII.

Qui sunt ordinandi.

Constitutum etiam fuit in eadem Synodo , vt is qui viduam duxerat , aut repudiatam , aut ad secundas nuptias transferat , ad sacrum ordinem nunquam postea assumetur , nec consecraretur in sacerdotem : sed is qui castæ vnius vxoris maritus fuerat , ad castum ordinem eligendus foret , iuxta id quod apostolus Paulus in epistola sua scriptum tradidit .

IX.

Digamie non benedicendum.

Nulli liceat sacerdoti iis interesse nuptiarum celebritibus , in quibus aut secundæ vir vxori iungitur , aut secundo viro femina : nec vel iisdem benedicere , vt admonuit eum . . . ita quod in castitate degant . Sic doctores scripsierunt , licet Apostolus veniam cesserit iterum ducendi vxorem , si vxor eius . . . Canones autem iam tum prohibit benedictionem , & eiusmodi connubientibus imponunt etiam poenitentiam .

X.

De ordinibus ecclesiæ.

Septem gradus constituti sunt in ecclesia : primus , ostiarius ; secundus , lector ; tertius , exorcista ; quartus acolytus ; quintus , subdiaconus ; sextus , diaconus ; septimus , presbyter .

XI.

Ostiarius.

I. Ostiarius est ostiorum templi seu ecclesiae custos , qui campanarum sonitu designat tempora , fidelibusque ecclesiae fores aperit , infidelibus vero occludit .

XII.

Lector.

II. Lector is est qui legit in ecclesia Dei , ad hoc etiam ordinatus , vt verbum Dei populo prædicet .

XIII.

III. Exorcista idem est qui malignos spiritus homines Exorcista.
cruciantes omnipotentis Dei nomine prodire ex eisdem
adiurando cogit.

XIV.

IV. Acolytus dicitur qui candelam vel cereum ac- Acolytus.
censum fert, dum euangelium legitur in Dei ministerio,
vel dum sacerdos sacramentum corporis Domini ad alta-
re consecrat: non ita tamen ad arcendum caliginosas tene-
bras, sed ad indicandum eo lumine beatitudinem, ad Chri-
stum honorandum, qui est lumen nostrum.

XV.

V. Subdiaconus is est qui diacono vasa porrigit, & Subdiacono-
omni cum humilitate ad altare sanctum eidem famulatur,
vasa subministrans ad sacramentum corporis Domini no-
stri pertinentia.

XVI.

VI. Diaconus est qui missali sacerdoti est a ministe- Diaconus.
rio, oblationes super altari ponit, & in diuinorum cele-
bratione euangelium * legit. Ei liceat baptizare, popu-
loque coenam Domini exhibere Saluato-
ri deseruire, & vita cœlestis rationem in castitate cole-
re, & omnia sicut decet illum ordinem. Sacerdos
qui versatur absque diacono, nomen tenet, non ministe-
rium.

XVII.

VII. Presbyter est sacerdos missalis, aut senior, non Presbyter
a senectute, sed quod senili gaudet prudentia. Illius est vel sacer-
corpus Domini in sacramento consecrare, eodem modo
quo Saluator ipse instituit. Eius est ut populum ducat ad fi-
dem, cum & prædicando, tum & sacra ministeria caste
exequendo, Christianis se exemplum præbens, & vitam
agens non pro more laicorum. Haud pluris interest inter
missalem presbyterum & episcopum, quam quod epi-
scopus constitutus sit ad ordinationes conferendas, & ad
visitandum, seu inspiciendum, curandumque ea quæ ad
Deum pertinent (*Dei iura) quod nimiæ crederetur multi-
tudini, si omnis presbyter hoc idem ficeret. Ambo siquidem
vnū tenent eundemque ordinem, quamvis dignior
sit illa pars episcopi.

XVIII.

Monachi &
abbates non
sunt inter
ordines.

Non est alius ordo constitutus in ecclesiasticis ministeriis præter memoratos septem istos. Monachorum & abbatum classes alterius sunt generis, & neque ipsis annumerantur, neque ordinis alicuius nomen obtinent. Dicti autem ordines sancti sunt, & perducunt presbyterorum suorum animas ab beatitudinem, si pure teneantur.

XIX.

Vt presby-
ter seruet
horas cano-
nicas.

Ad presbyteros spectat, & ministros Dei omnes, ut ecclesiam suam sancto colant obsequio, septem in ea horarios cantus psallant, ut a Synodo constitutum est, id est cantus antelucanus, cantus matutinus, cantus tertianus, vel ad horam diei tertiam, cantus meridianus, cantus nocturnus, vel ad horam nonam diei, cantus vespertinus, cantus nocturnus, qui & septimus.

XX.

Vt oret pro
rege, popu-
lo, &c.

Tenentur hi etiam preces obnixius fundere pro rege & ipsorum episcopo, etiam pro suis benefactoribus, & pro omni populo Christiano.

XXI.

Vt habeat
codices sa-
cros.

Habebit etiam presbyter quilibet, priusquam ordinatus fuerit, arma ad opus spirituale pertinentia, videlicet codices sacros, id est psalterium, epistolarum librum, & liberum euangeliorum, liberum missale, libros canticorum, liberum manualem, seu enchiridium, gerim, passionalem, pœnitentiale, & lectionarium. Hæc ut habeat necessarium est, & curet presbyter diligenter, ut accurate omnia sint correcta, & a scribarum vitiis liberata.

XXII.

Et missalia
vestimenta.

Habebit etiam missalia vestimenta, ut Deo seruiat prout decet, honorifice: nec sint ea mucida, ne vel aliquantulum & altaris etiam pallia affabre sint contexta. Calix eius e pura * vna materia factus, putredini non obnoxia, & sic etiam patina. Corporale item nitidum, ut Christi conuenit ministerio. Nemo quidquam * impune proferat quod non semper * dignum fuerit apud Deum, ut ei seruiat, cum in prudentia, tum in puritate.

XXIII.

Vt expo-
nat euau-
geliu[m], &c.

Presbyter etiam, seu missalis sacerdos, in diebus Solis, & missalibus, euangelii eius intellectum populo dicet Angli-
ce,

ce, & ipsorum etiam Pater noster & Credo toties quoties poterit ad eos instruendos adhibere, & vt symbolum fidei memoriter discant, Christianamque suam teneant confessionem, monente hoc Domino, vna & propheta inquietante : *Canes muti non possunt latrare.* Oportet nos latrare & *Isa. 56.* exhortari laicos, ne forte pro defectu instructionis perdamus eos. De insipienti doctore ait Christus in euangelio, *Cæcus si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.* Cæcus est *Luc. 6.* doctor qui literas nescit, & ignorantia sua laicos & indotuos decipit. Caveatis in hoc igitur, prout opus fuerit.

XXIV.

Sancti etiam patres statuerunt, vt ecclesiæ Dei decimas suas quique conferant, tradanturque ea sacerdoti, qui easdem in tres distribuat portiones : vnam ad ecclesiæ reparationem, alteram pauperibus erogandam, tertiam vero ministris Dei qui ecclesiam ibi curant.

XXV.

Constituerunt etiam, vt nemo Missam celebraret in domo non consecrata, nisi vrgente necessitate, vel quod quispiam sit infirmus, & ad ecclesiam proficisci nequeat.

XXVI.

Si puer non baptizatus * libere adducatur ad presbyterum : caueat ille vt eumdem protinus baptizet, ne forte moriatur ethnicus.

XXVII.

Nullus presbyter pro pecuniis vendat ministerium suum, nec pro eodem quidpiam petat, neque pro baptismo, neque pro alio aliquo ministerio exequendo : ne sit eorum similis, quos de templo Christus ipse flagro expulit, quod mercaturam nequiter exercebant in eodem. Dei siquidem ministri non iam faciant ministeria, vt pecuniam inde sibi conferant, sed vt gloriam mereantur semperitnam.

XXVIII.

Nullus itemque presbyter ex quacumque lucri vel cupiditatis causa ab vna ecclesia ad aliā transeat, sed ad mortem usque in eadem hærebat, cui primitus ordinatus fuit.

XXIX.

Nullus presbyter ex ineptia bibat plus quam decet, nec alium prouocet ad bibendum ultra quod desiderat, ne

Concil. Tom. 25.

Rrr

forte minime compos fuerit , cum vel infans baptizandus ,
vel moriturus quispiam viatico sit donandus : quod si non
acciderit , haud tamen fiat ebrius , quia Dominus mini-
stris suis interdixit ebrietatem.

XXX.

Nec merca-
tor, caufidi-
cus, &c.

Presbyter nec sit mercator , nec mercaturæ cupidus ,
nec omisso theologiæ studio , se ad mundanas conferat ser-
mocinationes , nec arma ferat , nec causidicus sit , vel li-
tes agat : nec in œnopolii bibat more sacerdotalium , iura-
mentum etiam ne iurato : semper autem & simpliciter ve-
rum dicat absque mendacio , vt servi Dei docuerunt.

XXXI.

Cautus in
pœnitentiis & cœ-
na Domini
ministran-
dis.

Distincte etiam peccatoribus instituet pœnitentiam ,
vnicuique scilicet iuxta meriti sui rationem , sicuti proba-
bilius eam affequatur. Infirmis & ægrotis cœnam Domini
ministrabit , dum tamen valeant hanc deglutiare , semimor-
tuo autem non porriget , quia Christus dicit , homo man-
ducat hoc sacramentum.

XXXII.

De oleo &
extrema
vñctione.

Iacob. 5.

Habebit etiam presbyter consecratum oleum duplex :
hoc infantibus , id ægrotis paratum : & ægrotos semper vñ-
get iacentes. Quidam vero ægroti hoc nihili pendunt , & in
ægritudine sua se non concedunt vngi. Dicam quid de iis
docuit Iacobus Domini apostolus , qui creditibus ait : *Tri-
fatur aliquis vestrum ? oret aequo animo , & psallat. Infirmitur
quis in vobis ? inducat presbyteros ecclesiæ , & orent supereum , vñ-
gentes eum oleo in nomine Domini : & oratio fidei saluabit infir-
mum , & alleuiabit eum Dominus : & si in peccatis sit , remitten-
tur ei. Confitemini ergo alterutrum peccata vestra : & orate pro in-
uicem , ut saluemini.* Hæc locutus est Iacobus de vngendis
ægrotis. Ægrotus autem , priusquam inungatur , confitebi-
tur ab intimo corde , si quid peccati commiserit , pro quo
dignam non contulerit satisfactionem , sicut Apostolus
hic iam supra eum monuit : & nemo eum præsumat vñ-
gere , nisi exoratus , & post peractam confessionem. Si an-
tea peccator fuit & negligens , faciat iam demum confessio-
nem , pœnitentiam , & eleemosynam ante obitum suum , vt
inferno non adiudicetur , sed diuina gaudeat misericordia.

XXXIII.

De digni-
tate qua-

Quatuor erant Synodi pro veræ fidei defensione contra

hæreticos blasphemias eruçtantes in sanctam Trinitatem, & Saluatoris nostri humanam naturam. Prima Nicæa, tuor primarum Synodorum. hic antea memorauimus: post eam altera Constantinopoli, e 150. episcopis sanctis Dei seruis: tertia Ephesi fuit, e 200. episcopis: quarta vero Calchedoni, vbi multæ aderant episcoporum centuriæ, & hi omnes vñanimi assensu omnia confirmarunt quæ in Nicæna statuebantur Synodo, & in quibus violata fuit, ea omnia refecere. Quatuor istæ Synodi adeo obseruandæ sunt a Christi ecclesia, ut quatuor Christi codices. Multæ ex illo tempore fuerunt Synodi, sed hæ quatuor erant firmissimæ. Extinxerunt enim istæ hæreticas illas doctrinas, quas aduersus Deum hæretice posuerunt hæretici, & constituerunt pariter ecclesiasticum ministerium.

XXXIV.

Qua igitur audacia, o sacerdotes, istorum omnium despiceritis constitutiones: monachi enim vnius hominis constitutiones tenent, sancti videlicet Benedicti, & secundum regulam eius viuunt; quam si violauerint, corrigunt statim omni cum humilitate, iuxta abbatis eorum sententiam. Vos etiam habetis regulam: si vel eam legere volueritis, videbitis quid sit vobis constitutum. Vos autem mundanis delectamini collocutionibus, vicecomites fieri, præpositi, seu balliuui, neglecta interea ecclesia vestra, & his vna constitutionibus.

Sacerdotes prouocat ad obseruandos Canonones ex exemplo monachorum.

Sacerdotibus non conueniunt secularia officia.

XXXV.

Volumus (vt constitutiones perhibent) vos vosmet ipsos, prout Christianos decet, citius expedire, ecclesiæque vestræ sedulo indulgere: in ecclesia vero, ne vel fabulari liceat, aut loqui, orationis enim dominus est, & Deo consecrata in sermonis spiritualis exercitationem; nec in ea quispiam bibat, aut * indebite edat: cum sit illis sanctificata qui ibidem corpus Domini in fide manducauerint. Hæc quamvis turpia faciunt homines, bacchantes sãpe, & vsque ad insaniam bibentes in domo Dei, contumeliose etiam & turpiter ludentes, quin & foedis sermonibus ipsam hanc domum contaminantes: satius eis foret in lectis suis acquiescere, quam Deum istiusmodi irritare.

Reliqua defunt.

Concil. Tom. 25.

Rrr ij

CAPITVLA INCERTI AVCTORIS,
LOCI, ET TEMPORIS, AD ECCLESIAE
regimen congesta.

TITVLI CAPITVLORVM.

- Ex manu-
scripto col-
legii Cor-
poris Chri-
sti Cantabr.
- I. *De munere & dignitate sacerdotum.*
 - II. *Quod sacerdotes debent orationi & lectiōni incumbere.*
 - III. *Quod vacantes opificium exercant manuale.*
 - IV. *Ad Synodum venientes quid secum ferent.*
 - V. *Vt panis, vinum & aqua in Missa sint mundissima.*
 - VI. *Vt femine ad altare in celebrazione non accedant.*
 - VII. *Vt sacerdos solus non celebret.*
 - VIII. *Vt nihil non sanctum ponatur in ecclesiis: non messes, non fenum, &c.*
 - IX. *De non sepeliendo in ecclesiis, &c.*
 - X. *Vt in ecclesiis non sint vaniloquia, &c.*
 - XI. *Vt Missa non celebretur nisi in loco sacro.*
 - XII. *Vt femina non habitet cum sacerdote.*
 - XIII. *Vt sacerdos ebrietatem & tabernas fugiat, & inordinata etiam conuiua.*
 - XIV. *Vt sacerdotes aliorum parochianos ad se non alliant ob contrahendas decimas.*
 - XV. *Vt sacerdos alterius clericum non subducat.*
 - XVI. *De presbytero qui dato munere alterius ecclesiam ambierit.*
 - XVII. *Vt nullus presbyter agrotantem parvulum recuset baptizare.*
 - XVIII. *Vasa sacra non profananda.*
 - XIX. *De scholis in ecclesiis.*
 - XX. *Vt presbyteri per villas schoolas habeant, & gratis parvulos doceant.*
 - XXI. *De vita sanctius instituenda praecepta plurima.*
 - XXII. *De oratione dominica & symbolo discendis.*
 - XXIII. *De mane & vespere orando.*
 - XXIV. *De die dominica cantius celebranda.*
 - XXV. *De suscipiendis hospitibus sine munere.*
 - XXVI. *De periurio.*
 - XXVII. *De falso testimonio.*
 - XXVIII. *Vt sacerdos quilibet modo aliquo plebem doceat.*
 - XXIX. *De formula orandi.*
 - XXX. *De eodem, & de confessione.*
 - XXXI. *De peccatis in confessione enumerandis.*
 - XXXII. *Vt opera caritatis quisque faciat, & quonam modo fierint.*
 - XXXIII. *De mutuis parentum & liberorum officiis.*
 - XXXIV. *De vera caritate.*
 - XXXV. *Vt decima & eleemosynam ex negotiatione debeantur quam e fructibus.*
 - XXXVI. *Vt in hebdomada ante quadragesimam confessiones & paenitentia fiant, &c.*
 - XXXVII. *De observatione quadragesime.*
 - XXXVIII. *Vt ieunantium cibus pretermisssus panperibus erogetur.*

- XXXIX. *Vt ieunium non soluatur ante vesperas.*
 iunio remittendis.
- XL. *A quibus rebus & quomodo abstinentum sit.*
 XLIII. *Vt coniuges inuicem se iam abstineant.*
- XLI. *De crebra corporis & sanguinis Domini susceptione in quadragesima.*
 XLIV. *Vt populus excitetur ad crebram corporis & sanguinis Domini susceptionem, &c.*
- XLII. *De litibus & debitis in ie-*
 XLV. *Vt Missa publica non officiat peculiaris.*

P RÆ F A T I O.

OBSECRO vos, fratres dilectissimi, vt erga subditarum plebiū profectū & emendationē vigilantissima cura laboretiſ; qualiter illiſ viam salutis ostendenteſ, & eos verbiſ & exempliſ instruenteſ, & vos de eorū profeſtu, & nos de veſtræ fidei agro, Domino noſtro Iefu Christo auxiliante, fructuоſos illi manipuloſ reportemuſ. Obſecro etiam fraternitatē veſtrā, vt hæc capitula, quæ ad emendationē vitæ breuiter digeffi, affidue legatiſ, & memoriae veſtræ commendeteſ. Et bonoruſ operuſ cultibuſ, ſiuſ ſanctoruſ scripturaruſ lectionibuſ componatiſ vitam, & emendetis, & cum ſubditis plebibuſ, opitulante Domino, ad regna cæleſtia pergere certetiſ.

C A P I T V L A.

I.

Veraciter noſſe debetis, & ſemper meminiffe, quibus regendarum animarum cura commiſſa eſt: & pro hiſ qui negligentia noſtra pereunt, rationeſ reddituri ſumus; pro hiſ vero, quoſ verbiſ & exempliſ lucratifi fuerimuſ, præmium aeternæ vitæ percipiemuſ: nobis enim a Domino dictum eſt: *Vos eſtis ſal terraे.* Quod ſi populuſ fidelis cibuſ eſt Dei, eiusdem cibi condimentuſ nos ſumus. Scitote veſtrum graduſ eſſe noſtro gradui ſecunduſ, & pene coniunctuſ eſſe. Sicut enim epifcopi apostoloruſ in ecclieſia, ita nimiruſ presbyteri ceteroruſ diſcipuloruſ Domini vicem tenent; & illi tenent graduſ ſummi pontificis Aaron; iſti vero filioruſ eius: vnde oportet noſ memoreſ eſſe tantæ dignitatis, memoreſ veſtræ confeſerationiſ, memoreſ ſacræ, quam in manibus ſuſcepitiſ, vniōnioniſ; vt nec voſ ab eadem dignitate

Rrr iii

degeneretis, nec vestram consecrationem irritam faciat, nec manus sacra vñctione delibutas peccando pollutatis: sed cordis & corporis munditiam conseruantes, plebibus exemplum bene viuendi præbentes, his, quibus præfatis, ducatum ad cælestia regna præbeat. ¶

I I.

Oportet vos assiduitatem habere legendi, & instantiam orandi, quia iusti viri vita lectione instruitur, oratione ornatur, & assiduitate lectionis munitur homo a peccato, iuxta illum qui dicebat: *In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.* Hæc sunt enim arma, lectio videlicet & oratio, quibus diabolus expugnatur; hæc sunt instrumenta, quibus æterna beatitudo acquiritur; his armis vitia comprimuntur; his alimentis virtutes nutritur. ¶

I I I.

Sed & si quando a lectione quis * esset, debet manuum operatio subsequi, quia otiositas inimica est animæ, & antiquus hostis, quem a lectione, siue ab oratione, siue ab operatione vacantem inuenit, facile ad vitia rapit, per vsum namque lectionis discitis, qualiter & vos recte vivatis, & alios doceatis: per vsum orationis, & vobis, & his, quibus in caritate coniuncti estis, prodefesse valebitis. Per manuum operationem & corporis macerationem, & vitiis alimentum negabitis, & vestris necessitatibus subuenietis, & habebitis quid ad necessitatem patientibus porrigitatis. ¶

I V.

Quando more solito ad Synodum conuenitis, vestimenta, & libros, & vasa sancta, cum quibus vestrum ministerium & iniunctum officium peragatis, vobiscum afferte: nec non duos aut tres clericos, siue laicos, cum quibus Missarum solennia celebretis, vobiscum adducite: vt probetis quam diligenter quamque studiose Dei seruatum peragatis. ¶

V.

Panes, quos Domino in sacrificium offertis, aut a vobis ipsis, aut a vestris pueris, coram vobis nitide ac studiose fiant. Et diligenter obseruetis, vt panis, & vinum, & aqua, sine quibus Missæ nequeunt celebrari, mundissime atque

studiose tractentur. Et nihil in his vile, nihil improbatum inueniatur, iuxta illud quod ait scriptura. *Sit timor 2. Par. 9.*
Domini vobisum, & cum diligentia cuncta facite. Vinum cruciatum significat quem pro nobis sustinuit Dominus noster; aqua populum, pro quo sanguinem suum effudit Christus.

VI.

Feminæ, Missam sacerdote celebrante, nequaquam ad altare accedant, sed locis suis stent: & ibi sacerdos eorum oblationes Deo oblaturas accipiat: memores enim esse debent feminæ infirmitatis suæ, & sexus imbecillitatis, & idcirco sancta quælibet in ministerio ecclesiæ contingere pertimescant: quia & iam laici viri pertimescere debent, ne Ozæ poenam subeant, qui dum arcum Domini extra ordinationem contingere voluit, Domino persecutiente interiit.

VII.

Sacerdos Missam solus nequaquam celebret, quia, sicut illa celebrari non potest sine salutatione sacerdotis, & responsione plebis, admonitione sacerdotis nihilo minus pleb.... ita nimirum nequaquam ab uno debet celebrari: esse enim debent qui ei circumstant, quos ille salutet: a quibus ei respondeatur, & ad memoriam illi reducendus est ille dominicus sermo: *Vbicunque fuerint duo vel LUC. 19.*
tres in nomine meo congregati, ibi sum & ego in medio eorum.

VIII.

Videmus crebro in ecclesiis messes & fenum congeri. Vnde volumus vt hoc penitus obseruetur, vt nihil in ecclesia præter vestimenta ecclesiastica, & vasæ sanctæ, & libri recondantur. Ne forte si alia ibi quam oportet negotia exerceantur, a Domino audiamus: *Domus mea do-* *LUC. 19.*
mus orationis vocabitur, vos autem fecistis eam speluncam latronum.

IX.

Antiquus in his regionibus in ecclesiis sepeliendorum mortuorum usus fuit, & plerumque loca diuino cultui mancipata, & ad offerendas Deo hostias præparata, cemeteria siue polyandria facta sunt idem tumulis mortuorum. Vnde volumus vt ab hac re deinceps abstineatur. Et nemo in ecclesia sepeliatur, nisi forte talis sit persona

facerdotis, aut cuiuslibet iusti hominis, qui per vitæ meritum talem viuendo suo corpori defuncto locum acquisuit. Corpora vero, quæ antiquitus in ecclesiis sepulta sunt, nequaquam proiiciantur, sed tumuli quia apparent, profundius in terram mittantur. Et paumento desuper facto, nullo tumulorum vestigio apparente, ecclesiæ reuerentia seruetur. Vbi vero tanta est multitudo cadaerum, vt hoc facere difficile sit, locus ille pro * mysterio habeatur. Ablato inde altari, & in eo loco constituto, vbi religiose & pure Deo sacrificium offerri valet.

X.

Non debere ad ecclesiam ob aliam causam conuenire, nisi ad laudandum Deum, & eius seruitium faciendum, statuimus. Disceptationes vero & tumultus, & vaniloquia, & ceteræ actiones ab eodem sancto loco penitus prohibendæ sunt. Vbi enim Dei nomen inuocatur, Deoque sacrificium offertur, angelorum inesse frequentia non dubitatur, periculosest tale aliquid dicere vel agere quod sancto loco non conuenit. Si enim Dominus illos de templo eiecit qui victimas quæ sibi offerebantur emebant vel vendebant, quanto magis illos iratus inde abiiciet, qui mendaciis, vaniloquiis, risibus, & huiuscemodi nugis locum diuino cultui mancipatum fœdant.

XI.

Dent. 16. Missarum solennia nequaquam alibi nisi in ecclesia celebranda sint, non in quibuslibet domibus & in vilibus locis, sed in loco quem elegerit Dominus, iuxta illud quod scriptum est: *Vide ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris, sed in loco quem elegerit Dominus, ut ponat nomen suum ibi.* Exempta ratione eorum qui in exercitu per gentes ad hoc opus habent, tentoria & altaria dedicata, in quibus Missarum solennia expleantur.

XII.

Nulla femina cum presbytero in vna domo habitet, quamuis enim Canones matrem, & sororem, & huiuscmodi personas, in quibus nulla sit suspicio, cum illo habitare concedant, hos nos modis omnibus idcirco amputamus, quia in obsequio, siue in occasione illarum veniunt alias feminæ, quæ non sunt ei affinitate coniunctæ, & eum ad peccandum illiciant.

XIII.

* *lege
cemete-
rio, in-
ta Conci-
lii Mel-
densis.*

XIII.

Obseruandum vobis est, vt & vos ab ebrietate abstineatis: & vt plebes vobis subditæ abstineant se, illis prædicetis: & neque per tabernas eatis bibendo, aut comedendo, neque aliorum domos, aut vicos, curiositate quilibet peragretis: neque cum feminis, aut cum quibuslibet & impuris personis conuiuia exerceatis; nisi forte parterfamilias quilibet vos ad domum suam inuitauerit, & cum coniuge sua & prole velit vobiscum spirituali gaudio lœtari, & verborum vestrorum refectionem accipere, & vobis refectionem carnalem caritatis officio exhibere. Oportet enim vt si quando quilibet fidelium carnalibus vos reficit epulis, a vobis reficiatur epulis spiritualibus.

XIV.

Nullus presbyter fidelibus sanctæ Dei ecclesiæ de alterius presbyteri parochia persuadeat vt ad suam ecclesiam concurrant, relicta propria ecclesia, & suas decimas sibi dent. Sed vnuſquisque sua ecclesia & populo contentus, quod sibi non vult fieri, alteri nequaquam faciat, iuxta illum euangelicum sermonem: *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, hæc eadem facite illis:* Matth. 7. Quisquis autem contra hæc constituta venerit, aut his monitis nostris reniti tentauerit, aut gradum se sciat amissurum, aut in carcere longo tempore detinendum.

XV.

Hoc quoque modis omnibus prohibemus, vt nullus vestrum alterius clericum sollicitet, aut recipiat: quia gravis de hac re in sacris Canonibus sententia est.

XVI.

Si quis presbyter inuentus fuerit alicui clero aut laico munera dare aut dedit, vt ecclesiam alterius presbyteri subripiat, sciat se pro hac rapina & sœua cupiditate aut gradum amissurum, aut in carceris ærumna longo tempore poenitentiam * agendi detinendum.

XVII.

Si parvulus ægrotans ad quemlibet presbyterum baptismi gratia de cuiuslibet parochia allatus fuerit, ei baptismi sacramentum nullo modo negetur. Si quis hoc munus petenti concedere detrectauerit, & ille parvulus abs-

Concil. Tom. 25.

Sff

que baptismatis gratia mortuus fuerit, nouerit se ille qui eum non baptizauerit pro eius anima rationem redditum.

XVIII.

Nullus sacerdos seu laicus præsumat calicem, aut patinam, aut quælibet vasa sacra, & diuino cultui mancipata, ad alias usus retorquere. Nam quicumque de calice sacrato aliud bibit præter Christi sanguinem qui in sacramento accipitur, & patinam ad aliud officium habet quam ad altaris ministerium, deterrendus est exemplo Baltassar, qui, dum vasa Domini in usus communes asumpsit, vitam pariter cum regno amisit.

XIX.

Si quis ex presbyteris voluerit nepotem suum, aut aliquem consanguineum, ad scholam mittere in ecclesiis quæ nobis concessæ sunt ad regendum, ei licentiam id faciendi concedimus.

XX.

Presbyteri per villas & vicos scholas habeant: & si quislibet fideliu[m] suos paruulos ad discendas literas eis commendare vult, eos suscipere & docere non renuant, sed cum summa caritate eos doceant, attendentes illud quod scriptum est: *Qui autem docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Cum ergo eos docent, nihil ab eis precii pro hac re exigant, nec aliquid ab eis accipient, excepto quod eis parentes ex caritatis studio sua voluntate largientur.

XXI.

Cum ergo omnium sacrarum scripturarum paginæ instrumentis bonorum operum refertæ sint, & per sanctarum scripturarum campos possint inueniri arma quibus virtus comprimantur, & virtutes nutrientur; placuit tamen nobis huic nostro capitulario inserere sententiam cuiusdam patris de instrumentis bonorum operum, in qua magna breuitate quid agi, quid vetari debeat, continetur. In primis Dominum Deum diligere ex toto corde, tota anima, tota virtute: deinde proximum suum tamquam seipsum: deinde non occidere, non adulterari, non facere furtum, non concupiscere rem proximi, non

Dan. 12.

Præcepta
plurima.

falsum testimonium dicere, honorare omnes homines, & quod sibi quis fieri ab alio non vult, alii ne faciet: abnega-re semetipsum sibi, ut sequatur Christum, corpus castiga-re, delicias non amplecti, iejunium amare, pauperes re-creare, nudum vestire, infirmum visitare, mortuum sepe-lire, in tribulatione oppresso subuenire, dolentem consolari, a saeculi astibus se facere alienum, nihil amori Chri-sti præponere, iram non perficere, iracundiæ tempus non reseruare, dolum in corde non retinere, pacem falsam non dare, caritatem non derelinquere, non iurare, ne forte fiat perjurium, veritatem ex corde & ore proferre, & malum pro malo non reddere, iniuriam non facere, sed sibi & factam patienter sufferre, inimicos diligere, male-dicentibus sibi non remaledicere, sed magis benedicere, persecutionem propter iustitiam sustinere: non esse su-perbum, non vinolentum, non somnolentum, non mul-tum edacem, non pigrum, non murmurantem, non detra-ctorem, spem suam Domino committere, bonum aliquid in se cum viderit, Domino applicet, non sibi: malum ve-ro semper a se factum sciat, & sibi reputet; diem iudicii ti-mere, gehennam expauescere, vitam æternam omni con-cupiscentia spirituali desiderare, mortem quotidie ante oculos suspectam habere, aëtus vita sua omni hora custo-dire, in omni loco Deum se respicere, pro certo scire co-gitationes malas cordi suo aduenientes, mox ad Christum allidere, & seniori spiritali patefacere. Os suum a malo vel prauo eloquio custodire, multum loqui non amare, verba vana aut risui apta non loqui, risum multum aut excussum non amare, lectiones sanctas libenter audire, orationi frequenter incumbere, mala sua præterita cum lacrymis vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri, de ipsis malis de cetero emendare, desideria carnis non perficere, voluntatem propriam odisse, præceptis sacer-dotis & præceptoris in omnibus obedire, etiam si ipse ali-ter, quod absit, agat, memorans illa dominica præcepta, in quibus habetur: *Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt no-* Matth. 25. *lite facere;* non velle dici sanctum, antequam sit, sed prius mereri sanctus esse, quod verius dicatur, præcepta Dei fa-cit quotidie adimplere, castitatem amare, nullum odisse, zelum & inuidiam non habere, contentionem non ama-

Concil. Tom. 25.

Sff ij

re, elationem fugere, & seniores venerari, iuniores diligere, in Christi amore pro inimicis orare. Cum discordantibus ante solis occasum in pacem redire, & de Dei misericordia nunquam desperare. Ecce hæc sunt instrumenta artis spiritualis, quæ cum fuerint a nobis die noctuque incessabiliter adimpleta, & in die iudicii reconsignata, illa merces nobis a Domino recompensabitur quam ipse promisit: *Quam oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quam preparauit Deus his qui diligunt eum.*

1. Cor. 2.

XXII.

Commonendi sunt fideles, ut generaliter omnes a minimo usque ad maximum orationem dominicam & symbolum discant: & dicendum eis quod in his duabus sententiis omne fidei Christianæ fundamentum incumbit. Et nisi quis has duas sententias memoriter tenuerit, & ex toto corde crediderit, & in oratione sapissime frequentauerit, catholicus esse non poterit. Constitutum namque est, ut nullus chrismetur, neque baptizetur, neque a lauacro fontis alium suscipiat, neque coram episcopo ad confirmandum quemlibet teneat, nisi symbolum & orationem dominicam memoriter tenuerit, exceptis his quos ad loquendum ætas minime perduxit.

XXIII.

Dicendum illis, ut singulis diebus qui amplius non potest saltem duabus vicibus oret, mane scilicet & vespere, dicens symbolum sive orationem dominicam: *Qui plasasti me miserere mei, vel etiam, Deus propitius esto mihi peccatori: & Domino gratias agens pro quotidiana vita combeatibus, & quia se ad imaginem suam creare dignatus sit, & a * peccatoribus segregare: his actis, & solo Deo creatore suo adorato, sanctos inuocet, vt pro se intercedere ad maiestatem diuinam dignentur, hæc facient quibus basilicæ locus prope est in basilica. Qui vero in itinere, aut pro qualibet occasione in siluis aut in agris est, vbi cumque enim hora matutina vel vespertina inuenierit, sic faciat, sciens Deum ubique præsentem esse, dicente Psalmista: In omni loco dominationis eius. Et: Si ascendero in cælum, tu ibi es, &c.*

Psal. 102.
Psal. 138.

XXIV.

Dies vero dominica, quia in eo Deus lucem condidit,

in eo mannam eremo pluit, in eo Redemptor humani generis sponte pro salute nostra mortuus resurrexit, in eo Spiritum sanctum super discipulos infudit, tanta esse debet obseruantia, ut praeter orationes, & Missarum solennia, & ea quae ad vescendum pertinent, nihil aliud fiat. Nam & si necessitas fuerit nauigandi, siue iter agendi, licentia datur, ita dumtaxat, ut ex occasione Missas & orationes non prætermittantur. Conueniendum est sabbato die cum luminaribus cuilibet Christiano ad ecclesiam: conueniendum est ad vigilias, siue ad Matutinæ officium: concurrendum est etiam cum oblationibus ad Missarum solennia. Et dum ad ecclesiam conuenitur, nulla causa dici debet vel audiri, nulla iurgia sunt habenda, sed tantummodo Deo vacandum est in celebratione videlicet sacrorum officiorum, exhibitione eleemosynarum; & in Dei laudibus cum amicis, & proximis, & peregrinis spiritualiter epulandum.

XX V.

Admonendi sunt, ut hospitalitatem diligent, & ut nulli hospitium præbere detrectent: & si cui forte hospitium præstiterint, nullam ab eo mercedem accipient; nisi forte ille qui recipitur sponte sua aliquid det, dicendumque illis qualiter multi per hospitalitatis officium Deo placuerunt, dicente Apostolo: *Per hanc enim placuerunt quidam 1. Petr. 1. Deo, angelis hospitio susceptis.* Et iterum: *Hospitales inuicem 1. Petr. 4. fine murmuratione.* Et ipse Dominus dicturus est in iudicio: *Hospes eram, & collegisti me.* Sciant sane quicumque *Matt. 25.* hospitalitatem amant, Christum se in hospitibus recipere, nam ille modus hospitalitatis non solum inhumnus, sed etiam crudelis est, quo nunquam hospes in domum ante recipitur, nisi prius dandi hospitii merces compensetur; & quod Deus agere iussit pro perceptione regni cœlestis, pro acquisitione terrenarum rerum agatur.

XX VI.

Prædicandum est etiam, ut periurium fideles caueant, & ab hoc summopere abstineant, scientes hoc grande scelus esse, & in lege & prophetis siue euangelio prohibitum. Audiuiimus enim quosdam paruipendere hoc scelus, & leuem quodammodo periuris poenitentia modum impone, qui nosse debent tales periuro poenitentiam impo-

Sff iij

nere debere, qualem & de adulterio, & de fornicatione, de homicidio, & de ceteris criminalibus vitiis. Si quis vero perpetrato periurio, aut quolibet criminali peccato, timens poenitentiae longam arumnam, ad confessionem venire noluerit, ab ecclesia repellendus est, siue a communione & confortio fidelium, vt nullus cum eo comedat neque bibat, neque oret, neque eum in sua domo recipiat.

XXVII.

Dicendum est eis vt a falso etiam testimonio se abstinent; scientes & hoc grauissimum scelus esse, & ab ipso Domino in monte Sinai prohibitum, dicente ipso Domino, *Non falsum testimonium dixeris: siue: Testis falsus non erit impunitus:* sciat se etiam quisquis hoc perpetrauit aut tali poenitentia purgandum, vt superius dictum est de periurio, aut tali damnatione aut excommunicatione damnandum, sicut superius insertum est. dicendumque illis est quod summa stultitia est, si quis pro cupiditate argenti & auri, aut vestimentorum, aut cuiuslibet rei, aut, quod creberrime contingere solet, propter ebrietatem, in tam grande scelus voluerit corruere; vt aut septem annis in arcta arumna sit, aut ab ecclesia repellendus, dicente Domino: *Quid prodest homini, si lucretur totum mundum, & animæ suæ detrimentum faciat:* quippe, cum aliis videatur pius existere, sibi met crudelis existat.

XXVIII.

Hortamus vos paratos esse ad docendas plebes: qui scripturas scit, prædicet scripturas; qui vero nescit, saltem hoc quod notissimum est pleibus dicat; vt declinent a malo, & faciant bonum, inquirant pacem; sequantur eam: quia oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum: vultus autem Domini super facientes malum, vt perdat de terra memoriam eorum. Nullus ergo se excusare poterit, quod non habeat linguam, vnde possit aliquem ædificare; mox enim vt quemlibet errantem viderit, prout potest, & valet, aut arguendo, aut obsecrando, aut increpando, ab errore retrahat, & ad peragendum bonum opus hortetur: cum vero, Domino opitulante, ad Synodus in vnum conuenerimus, sciat nobis vnuſquisque dicere quantum, Domino adiuuante, laborauerit, aut quem

*Exod. 20.
Pren. 17.*

Marc. 8.

INCERTI AVCTORIS.

511

fructum acquisierit: & si quis forte nostro indiget adiutorio, nos cum caritate nihilo minus ei pro viribus adiutorium ferre differemus.

XXIX.

Admonere debet fideles, ut assiduitatem & studium habeant orandi; ipse autem orandi modus talis esse debet; Vt primo, dicto symbolo, quasi fidei suæ recensito fundamento, dicat, quisquis est, tribus vicibus, *Qui plas-
masti me, miserere mei;* & tribus vicibus, *Deus propi-
tius esto mihi peccatori.* Et compleat orationem dominicam. Si ergo locus aut tempus exierit, deprecetur sanctos apostolos, sive martyres, ut pro eo intercedant, & armata fronte signo crucis, eleuatis cum corde manibus & oculis, Deo gratias agat; si vero tempus ad hæc omnia peragenda minus sufficiens est, sufficiat tantum, *Qui plasma-
sti me, miserere mei;* Et, *Deus propitiarius esto mihi peccatori:* Ibidem.

& oratio dominica tantum cum gemitu & contritione cordis.

XXX.

Omnienim die Deo in oratione nostra, aut semel, aut bis, aut quando amplius possimus, confiteri debemus peccata nostra, dicente Propheta: *Delictum meum cognitum tibi
feci, & iniustias non abscondi: Dixi: Confitebor aduersum me ini-
usticias meas Domino, & tu redemisti impietatem peccati mei.* Fa-
cta etenim confessione cum gemitu & lacrymis Domino, in oratione recitandus est psalmus quinquagesimus, sive vigesimus quartus, sive vigesimus quintus, atque alii ad rem pertinentes, & sic complenda est oratio; quia confessio, quam sacerdotibus facimus, hoc nobis adminiculum affert, qui accepto ab eis salutari confilio, saluberrimis pœnitentiæ obseruationibus, sive * munitiis, peccatorum maculas diluimus. Confessio vera, quam Deo soli facimus, in hoc iuuat, quia quanto nos memores sumus peccatorum nostrorum, tanto horum Dominus obliuiscitur: & e contrario, quanto nos horum obliuiscimur, tanto Dominus reminiscitur, dicente eo per prophetam: *Et pec-
catorum tuorum non meminero.* Tu autem memor esto, quod David propheta fecisse testatur, cum dicit: *Quoniam ini-
quitatem meam ego cognosco, & peccatum meum coram me est
semper.*

O&ao;o pec-
cata prin-
cipalia.

Confessiones dandæ sunt de omnibus peccatis, quæ siue in opere, siue in cogitatione perpetrantur. Octo sunt principalia vitia, sine quibus vix ullus inueniri potest. Est enim gastrimargia, hoc est ventris ingluies; secundum, fornicatio; tertium, acedia, siue tristitia; quartum, auaritia; quintum, vana gloria; sextum, inuidia; septimum, ira; octauum, superbia. Quando ergo quis ad confessionem venit, diligenter debet inquiri, quomodo aut qua occasione peccatum perpetraverit quod peregisse confitetur; & iuxta modum facti debet ei poenitentia indicari. Debet ei persuaderi ut de peruersis cogitationibus faciat confessionem, & nominatim debet ei sacerdos unum quodque vitium dicere, & suam de eo confessionem accipere.

XXXII.

Matth. 25.
Ioas. 6.

Esurientes satiandi sunt, sitiens potandi, nudi operiendi, infirmi, & qui in carcere sunt, visitandi, & hospites colligendi, dicente Domino: *Esuriui enim, & dedisis mihi manducare, &c.* nam hæc omnia & in se quisque debet specialiter agere, & in aliis temporaliter adimplere, quia pene nihil possunt hæc omnia proficere ad vitam æternam capessendam, si luxuriose, superbe, inuide, & (ne singula replicem) si vitiose & inordinate quis viuat, & ceteris bonis operibus non vacet: qui ergo videt se Christum non habere, qui dixit: *Ego sum panis viuus qui de cœlo descendit, & caritatem quæ est pastus animæ non habet, esurit quidem: sed si semper bona opera Christo adiungit, & caritatis se dulcedine replet, esurientem omnino semper pauit: qui se videt doctrina Spiritus sancti, & scripturarum sanctorum fluentis carere, sitiens est: sed si se fluentis verbi Dei irriget, & mentem suam spiritalis poculi dulcedine inebriet, iste se sitientem potauit; qui induit se iustitia sine ceteris virtutibus, nudum se procul dubio vestit, si in lecto vitiorum suorum iacet, & morbo iniquitatis suæ laborat, & funibus peccatorum suorum constrictus est, & vitiorum obsitus pariete, & in tenebris iniquitatis suæ est, infirmus quidem est: sed si de lecto vitiorum per confessionem egreditur, & per poenitentia lamenta vinculis peccatorum absoluitur, & ad lu-*

cem

cem bonorum operum egreditur, infirmum & in carcere positum se procul dubio visitat. Sin huius vitæ via videt se laborare, & vitiorum procella quasi quadam aeris intemperie inquietari, & receptaculum bonorum operum non habere, sciat se in itinere positum hospitio egerre. At si se ad virtutum domum ducat, & sese in earum tutamine receptet, hospitem quidem suscepit, quæ omnia sibi spiritualiter exhibet, Christum in se, cuius ipse membrum est, pascit, potat, vestit, visitat ac suscipit.

XXXIII.

Admonendi sunt fideles sanctæ Dei ecclesiæ, vt filios suos & filias suas doceant parentibus obedientiam exhibere, dicente Domino: *Fili, honorifica patrem tuum*: nam & Exod. 10. ipsi parentes erga filios suos ac filias modeste debent agere, dicente Apostolo: *Et vos parentes nolite ad iracundiam provocare filios vestros*: & hoc dicendum est eis, vt si illi genitali affecti parcere velint iniuriis filiorum, non has impune Dominus sinit, nisi forte digna pœnitentia exhibeat: & quia leuius est filii parentum quælibet flagella suscipere, quam Dei iram incurrere.

XXXIV.

Admonendus est populus, quod hæc sit vera caritas, quæ Deum diligit plusquam se, & proximum tamquam se; quæ nihil vult alii facere, nisi quod sibi vult fieri; & plura quæ recensere longum est: nam quicumque in potu, & cibo, & dandis atque accipiendis rebus caritatem putant, non mediocriter errant, dicente Apostolo: *Regnum Dei non est cibus & potus*; nam & ipsa quando cum caritate fiunt, bona sunt, & inter virtutes computanda sunt.

XXXV.

Admonendi sunt qui negotiis ac mercationibus rerum inuigilant, vt non plus terrena lucra quam vitam cupiant sempiternam. Nam qui plus de rebus terrenis quam de animæ suæ salute cogitat, valde a via veritatis aberrat, & iuxta quemdam sapientem, in * vita sua perdidit intimam sui: sequendus est in hac parte, sicut in ceteris, apostolicus sermo, qui ait: *Et ne quis supergrediatur neque circumueniat in negotio proximum suum: vindicta enim Deus de his*

* lege via Concil. Tom. 25.

Ttt

1. Thess. 4.

omnibus: sicut enim ab his qui labore agrorum, & ceteris laboribus victum atque vestimentum querunt, & necessaria visib[us] humanis acquirere inhiantes instant, decimæ & eleemosynæ dandæ sunt; ita his quoque qui pro necessitatibus suis negotiis insistunt faciendum est. Vnicuique enim homini Deus dedit artem qua pascitur, & vnuquisque de arte sua, de qua corporis necessaria subsidia habet, animæ quoque, quod magis necessarium est, subsidium administrare debet.

XXXVI.

Hebdomada prima ante initium quadragesimæ confessiones sacerdotibus dandæ sunt, poenitentia accipienda, discordantes reconciliandi, & omnia iurgia sedanda, & dimittere debent debita inuicem de cordibus suis,

Math. 6. vt liberius dicant: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris;* & sic ingredientes in beatæ quadragesimæ tempus, mundis & purificatis mentibus ad sanctum pascha procedant, & per poenitentiam se renouent, quæ est secundus baptismus. Sicut enim baptismus peccata, ita & poenitentia purgat; & qui post baptismum peccat, denuo non potest baptizari; hoc medicamentum a Domino poenitentiæ datum est, vt per eam vice baptismi peccata post baptismum diluantur. Septem enim modis peccata dimitti scripturæ sanctæ demonstrant. Primo enim in baptisme, quod propter remissionem peccatorum datum est. Secundo, per martyrium, iuxta illud quod ait Psalmista: *Beatus cui non imputauit Dominus peccatum:* quia iuxta eiusdem David sententiam, remittuntur peccata per baptismum, teguntur per poenitentiam, non imputantur per martyrium. Terzio, per eleemosynam, iuxta Danielem, qui profano

*Peccata se-
ptempliciter
dimittun-
tur.*

Psal. 31. *Psalmista: Beatus cui non imputauit Dominus peccatum:* quia iuxta eiusdem David sententiam, remittuntur peccata per baptismum, teguntur per poenitentiam, non imputantur per martyrium. Terzio, per eleemosynam, iuxta Danielem, qui profano

Daniel. 4. Nabuchodonosor ait: *Peccata tua eleemosynis redime in misericordiis pauperum.* Et illud: *Ignem ardenter extinguit aqua, & eleemosyna extinguit peccata.* Et Dominus in euangelio: *Verumtamen date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Quarto, si remittat quis peccanti in se peccata sua, iuxta illud: *Dimitte, & dimittetur vobis. Date, & dabitur vobis.* Et illud: *Sic & Pater uester dimittet vobis peccata vestra, si remiseritis unicuique de cordibus vestris.* Quinto, si per prædicationem suam quis, & bono-

Eccles. 5. *Luc. 11.* *Luc. 6.* *Marc. 11.*

rum operum exercitium alios ab errore suo conuertat, iuxta illud quod ait apostolus : *Quoniam si conuerti fecerit Iacob. 5.*
quis peccatorem ab errore viae suae, saluabit animam eius a morte, & cooperiet multitudinem peccatorum. Sexto, per caritatem, iuxta illud : *Caritas Dei cooperiet multitudinem peccato- 1. Pet. 4.*
rum per Iesum Christum Dominum nostrum. Septimo, per poenitentiam, iuxta quod ait Dauid : *Conuersus sum in aerum- Psal. 31.*
na mea, dum configitur spina.

XXXVII.

Ipsa autem quadragesima cum summa obseruatione custodiri debet, ut iejunium in ea, præter dies dominicos, qui abstinentiae subtracti sunt, nullatenus resoluatur; quia ipsi dies, decimæ sunt anni nostri, quos cum omni religione & sanctitate transire debemus: nulla enim in his occasio sit resoluendi iejunii, quia alio tempore solet iejunium caritatis causa dissolui, isto vero nullatenus debet, quia alio tempore iejunare in voluntate & arbitrio cuiuslibet positum est: in hoc vero non ieunare, præceptum Dei transcendere est: & in alio tempore iejunare, præmium abstinentiae acquirere est: in hoc vero, præter infirmos aut paruulos, quisquis non ieunat, poenam sibi acquiret; quia eosdem dies Dominus per Moysen, & per Eliam, & per semetipsum sacro ieunio consecravit.

XXXVIII.

Diebus vero iejunii eleemosyna facienda est, & cibum siue potum, quo quisque vti debuit, si non ieunaret, pauperibus eroget; quia iejunare, & cibos prandii ad coenam reseruare, non mercedis, sed ciborum est incrementum.

XXXIX.

Solent plures qui se iejunare putant, mox vt signum audiunt, ad horam nonam manducare; qui nullatenus iejunare credendi sunt, si manduauerint antequam vespertinum celebretur officium: concurrendum est enim ad Missas, & auditis Missarum solennibus, siue vespertinis officiis, largitis eleemosynis, ad cibum accedendum est. Si vero aliquis necessitate constrictus fuerit, vt ad Missam conuenire non valeat, estimata vespertina hora, completa oratione sua, iejunium absoluere debet.

Concil. Tom. 25.

Ttt ij

XL.

Abstinentia vero in his diebus pene omnium deliciarum esse debet, & sobrie & caste viuendum. Qui vero ouis, caseo, piscibus, vino abstinere potest, magnæ virtutis est : qui autem his, aut infirmitate interueniente, aut quolibet opere, abstinere non potest, vtatur tantum , vt ieunium vsque ad vesperam solemnitatem celebret ; & vinum non ad ebrietatem, sed ad refectionem corporis sui sumat. A caseo vero, lacte, butyro & ouis abstinere & ieunare dementissimum est, & ab omni ratione esse semotum : vinum enim pro ebrietate & luxuria prohibitum est, non lac & oua: non enim ait Apostolus, Nolite comedere lac & oua, sed, *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.*

XL I.

Singulis diebus dominicis in quadragesima , præter hos qui excommunicati sunt , sacramenta corporis & sanguinis Christi sumenda sunt. Et in cœna Domini , vigilia paschæ, & in die resurrectionis Domini , penitus ab omnibus hominibus communicandum est. Et ipsi dies paschalis hebdomadæ omnes æquali religione colendi sunt.

XL II.

In his ieuniorum diebus nullæ lites, nullæ contentiones esse debent, sed in Dei laudibus , & in opere necessario persistere: dum arguit enim eos qui contentiones & lites quadragesimæ tempore construunt, & qui debita a debitoribus exigunt, Dominus per prophetam dicens : *Ecce in die ieunii vestri inueniuntur voluntates vestræ, & omnes debitores vestros repetitis : ecce ad lites & contentiones ieunatis, & percutitis pugno impie.*

XL III.

Abstinendum est enim in his sacratissimis diebus a coniugibus, & caste & pie viuendum, & sanctificato corde & corpore isti sancti dies transfigantur, & sic perueniantur ad diem sanctum paschæ; quia pene nihil valet ieunium quod coniugali macula vel opere polluitur, & quod orationes, vigiliae, eleemosynæ non commendant.

XL IV.

Admonendus est populus vt ad sacrosanctum sacramentum corporis & sanguinis Domini nequaquam indif-

*Vinum in
ieiuniis
prohibi-
tum, non
lac & oua.
Ephes. 5.*

ffaria 58.

ferenter accedat, nec ab hoc minime abstineat, sed cum omni diligentia atque prudentia eligat tempus, quando aliquamdiu ab opere coniugali abstineat, & vitiis se purget, virtutibus exornet, eleemosynis & orationibus insitiat, & sic ad tantum sacramentum accedat: quia sicut periculosest, impurum quemque ad tantum sacramentum accedere, ita etiam periculosest ab hoc prolixo tempore abstinere, sola ratione eorum qui excommunicati, non quando eis libet, sed certis temporibus communicant, & religiosis quibusque sancte viuentibus, qui pene omni die id faciunt.

XLV.

Vt & Missæ quæ per dies dominicos peculiares a sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, vt per eas populus a publicis Missarum solennibus, quæ hora tertia canonice fiunt, abstrahatur; quia pessimus usus est apud quosdam, qui in diebus dominicis, siue in quibuslibet festiuitatibus mox Missam celebrare etiam pro defunctis si audierit, abscedit, & per totum diem a primo mane ebrietati & comeditioni potius quam Deo deseruit; admonendus est populus, vt ante publicum peractum officium ad cibum non accendant, & omnes ad publicam sanctam matrem ecclesiam Missarum solennia & prædicationem audituri conueniant; & sacerdotes per oratoria nequaquam Missas nisi tam caute ante secundam horam celebrent, vt populus a publicis solennibus non abstrahatur; sed diversi sacerdotes, qui in circuitu urbis, aut in eadem urbe sunt, siue populus, (vt prædictimus) in unum ad publicam Missarum celebrationem, conuenient, exceptis Deo sacrificiis feminis, quibus mos est ad publicum non egredi, sed claustris monasterii contineri.

ANNO CHRISTI LEGES ECCLESIASTICÆ

S. EDVWARDI REGIS ET CONFESSORIS

e sæcularibus suis depromptæ.

TITVL LI LEGVM ECCLESIASTICARVM.

- I. *De clericis & possessionibus eorum.* II. *De temporibus & diebus pacis regis.*

Titl iij

518 LEGES ECCLESIASTICÆ

- III. *De iustitia sancte ecclesie.*
- IV. *De vniuersis tenentibus de ecclesia.*
- V. *De reis ad ecclesiam fugientibus.*
- VI. *De fractione pacis ecclesie.*
- VII. *De decimis ecclesie reddendis, de ouibus & porcellis.*
- VIII. *De apibus, & aliis multis minutis decimis.*
- IX. *De his qui ad iudicium ferri vel aqua iudicati sunt per iustiam regis.*
- X. *De denario sancti Petri, quod Anglice dicitur Romescot.*
- XI. *Quid sit danegeldum, & qua occasione sit constitutum.*
- XII. *De multimoda pace regis, &c. Item de manib[us] archiepiscopi, episcopi, &c.*
- XIII. *De thesauris in terra absconditis & inuentis.*
- XIV. *Quid sit regis officium, &c de Carolo & Pippino* fratre eius *legi fili exemplum.*
- XV. *De baronibus qui suas habent curias & consuetudines.*
- XVI. *De sacha.*
- XVII. *De soca.*
- XVIII. *De thol.*
- XIX. *De theam.*
- XX. *De infangthebe.*
- XXI. *De Iudeis.*
- XXII. *Decretum regis de usurariis.*

INCIPIVNT LEGES SANCTI EDVVARDI REGIS
quas in Anglia tenuit, quas Vvilielmus heres
& cognatus suus postea confirmauit.

P R A E F A T I O.

POSt acquisitionem Angliae Vvilielmus rex quarto anno regni sui consilio baronum suorum fecit submoneri per vniuersos Angliae consulatus, Anglos nobiles, sapientes, & sua lege eruditos, vt eorum leges, & iura, & consuetudines ab ipsis audiret. Eleeti igitur de singulis totius patriæ comitatibus viri duodecim, iureiurando primum coram rege confirmauerunt, vt quoad possent recto tramite incidentes, nec ad dextram nec ad sinistram diuertentes, legum suarum & consuetudinum sancta patefacerent, nihil prætermittentes, nihil addentes, nihil prævaricando mutantes. A legibus igitur sanctæ matris sumentes exordium, quoniam per eam rex & regnum solidum subsistendi habent fundamentum, leges, libertates, & pacem ipsius concionati sunt, dicentes:

LEGES ECCLESIASTICÆ.

I.

Omnis clericus, & etiam scholaris, & omnes eorum res & possessiones vbiicumque fuerint, pacem Dei & sanctæ ecclesie habeant.

II.

Ab aduentu Domini usque ad octauas epiphanie pax Dei & sanctae ecclesiae per omne regnum. Similiter a septuagesima usque ad octauas paschae. Item ab ascensione Domini usque ad octauas pentecostes. Item omnibus diebus quatuor temporum. Item omnibus sabbatis ab hora nona, & tota die sequenti, usque ad diem Luna. Item vigiliis sanctae Mariae, sancti Michaelis, sancti Ioannis Baptiste, apostolorum omnium, & sanctorum, quorum solennitates a sacerdotibus dominicis annuntiantur diebus, & omnium sanctorum in Kalendis Nouembris, semper ab hora nona vigiliarum, & subsequente solennitate. Item in parochiis, in quibus dedicationis dies obseruatur. Item in parochiis ecclesiarum, ubi propria festivitas sancti celebratur. Et si quis deuote ad celebrationem sancti adueniat, pacem habeat eundo, & subsistendo, & redeundo. Item omnibus Christianis ad ecclesiam causa orationis eundibus pax in eundo & redeundo sit eis. Similiter ad dedicaciones, ad Synodos, ad capitula venientibus, siue submoniti sint, siue per se quid agendum habuerint, sit summa pax. Etiam si excommunicatus aliquis absoluendi causa ad episcopum configurerit, absolutus, eundo & redeundo pacem Dei & sanctae ecclesiae habeat. Quod si aliquis ei forisfecerit, episcopus inde iustitiam faciat. Verumtamen si quis arrogans pro episcopi iustitia emendare noluerit, episcopus regi notum faciat. Rex autem constrainat malefactorem, ut emendet cui forisfecerit, scilicet primum episcopo, deinde sibi: & sic erunt duo gladii, & gladius gladium iuuabit.

III.

Vbicunque regis iustitia, vel cuiuscumque sit placita tenuerit, si missus episcopi veniens illuc apparuerit causam sanctae ecclesiae, ipsa primitus terminetur: iustum est enim ut vbique Deus praeter ceteris honoretur.

IV.

Quicumque de ecclesia aliquid tenuerit, vel in fundo ecclesiae mansionem habuerit, extra curiam ecclesiasticam coactus non placitabit, quamvis forisfecerit, nisi (quod absit) in curia ecclesiastica rectum defecrit.

Vbicumque reus vel noxious ad ecclesiam præsidii causa confugerit, ex quo atrium ecclesiæ tenuerit, a nemine insequente nullatenus apprehendatur, nisi per pontificem vel ministros eius. Quod si fugiendo domum sacerdotis, vel curiam eius intrauit, eamdem securitatem & pacem habeat quam & apud ecclesiam, dum tamen domus sacerdotis & curia eius in fundo ecclesiæ consistant. Hic si latro vel raptor est, quod male cepit (si ad manum est) reddat: & si illud penitus extirpauerit, & de suo proprio vnde reddat habuerit, in integrum ei cui damnum intulit restituat. Quod si more solito latro taliter egerit, & forte fortuito ad ecclesiam & sacerdotum domos frequenter euaserit, ablatione restituta, prouinciam forisiuret, nec redeat: & si forte redditum fecerit, nullus eum hospitari præsumat, nisi a rege data licentia.

Si quis vero sanctæ pacem ecclesiæ violenter infregerit, episcoporum est iustitia. Quod si nocens sententiam eorum diffugiendo vel arrogâter contemnendo despexerit, clamor de eo deferatur ad regem post quadraginta dies, & regis iustitia mittet eum per vadimonium, & plegios (si habere poterit) usque dum Deo primitus, regi & ecclesiæ postea satisfaciat. Qui si infra triginta & unum dies, siue per amicos aut notos, siue per iustitiam regis inueniri non poterit, vt lagabit eum rex verbo oris sui. Si vero postea repertus fuerit, & retineri possit, viuus regi reddetur, vel caput eius, si se defenderit: lupinum enim gerit caput a die vtlagationis suæ, quod Anglice *Vulfesheofod* dicitur. Et hæc est lex communis & generalis de omnibus vtlagatis.

De omni annona decima garba Deo debita est, & ideo reddenda. Et si quis gregem equarum habuerit, pullum reddat decimum; qui unam tantum vel duas habuerit, de singulis pullis singulos denarios. Similiter qui vaccas plures habuerit, decimum vitulum; qui unam vel duas, de vitulis singulis obolos singulos. Et qui caseum fecerit, det Deo decimum; si vero non fecerit, lac decimo die. Similiter agnum decimum, vellus decimum, caseum decimum, butyrum decimum, porcellum decimum.

VIII.

De apibus vero similiter decima commodi, quin etiam de bosco, de prato, de aquis, & molendinis, parchis, viuaris, piscariis, virgultis, hortis, & negotiationibus, & omnibus rebus quas dederit Dominus, decima pars ei reddenda est, qui nouem partes simul cum decima largitur. Qui eam detinuerit, per iustitiam episcopi & regis, si necesse fuerit, ad redditionem arguatur. Hæc enim beatus Augustinus prædicauit & docuit, & hæc concessa sunt a rege, & baronibus, & populo. Sed postea instinctu diaboli multi eam detinuerunt, & sacerdotes locupletes negligentes non curabant inire laborem ad persequendas eas, eo quod sufficienter habebant suæ necessaria vitæ. Multis enim in locis modo sunt tres vel quatuor ecclesiae, vbi tunc temporis vna tantum erat, & sic cœperunt minui.

IX.

Die illo quo iudicium fieri debet, veniat illuc minister episcopi cum clericis suis, & similiter iustitia regis cum legalibus hominibus prouinciæ illius, qui videant & audiant, ut æque omnia fiant: & quos Dominus per misericordiam suam, non per merita saluare voluerit, quieti sint & libere recedant: & quos iniquitas culpæ, non Dominus damnauerit, iustitia regis de ipsis iustitiam faciat. Barones vero qui suam habent curiam de suis hominibus, videant ut sic de eis agant, quatenus erga Deum reatum non incurvant, & regem non offendant. Et si placitum de hominibus aliorum baronum oritur in curiis suis, adsit ad placitum regis iustitia, quoniam absque ea placitum finiri non licet. Si qui barones iudicia non habent, in hundredo, vbi placitum habitum fuerit, ad propinquiorem ecclesiam, vbi iudicium regis erit, determinandum est, saluo iure baronum illorum.

X.

Omnis qui habuerit triginta denariatus viuæ pecuniaæ in domo sua, de suo proprio, Anglorum lege, dabit denarium sancti Petri: & lege Danorum dimidiam marcam. Iste vero denarius debet submoneri in solennitate apostolorum Petri & Pauli, & colligi ad festiuitatem quæ dicuntur Ad vincula, ita ut ultra illum diem non detineatur. Si quispiam detinuerit, ad iustitiam regis clamor defera-

Concil. Tom. 25.

Vuu

tur, quoniam denarius hic eleemosyna regis est : iustitia vero faciat denarium reddere, & forisfacturam episcopi & regis. Quod si quis plures domos habuerit, de illa vbi residens fuerit in festo apostolorum Petri & Pauli denarium reddat.

XI.

Videtur
hoc caput
additum
esse tempore
Henrici II.

Ecclesia li-
bera fuit a
danegeldo
vsque ad
tempus
Vvilielmi
Rufi.

Danegeldi redditio propter piratas primitus statuta est: patriam enim infestantes, vastationi eius pro posse suo infistebant. Ad eorum quidem insolentiam reprimendam, statutum est danegeldum annuatim redi, scilicet duodecim denarios de vnaquaque hida totius patriæ, ad conducendos eos qui piratarum irruptioni resistendo obuient. De hoc quoque danegeldo libera & quieta erat omnis ecclesia, & etiam omnis terra quæ in proprio dominio ecclesiæ erat vbicunque iacebat, nihil prorsus in hac tali redditione persoluens, quia magis in ecclesiæ confidebant orationibus, quam in armorum defensionibus. Hanc itaque tenuit Anglorum ecclesia libertatem vsque ad tempora Vvilielmi regis iunioris, qui Rufus vocabatur: donec eodem a baronibus Angliae auxilium requirente, ad Nortmanniam retinendam de Roberto fratre suo, cognomento Curtehoſe, Ierusalem proficidente, concessum est ei, non lege statutum tamen, neque firmatum, sed hac necessitatis causa, ex vnaquaque hida sibi dari quatuor solidos, ecclesia non excepta. Dum vero collectio census fieret, proclamabat sancta ecclesia suam reposcens libertatem, sed nihil profecit.

XII.

Pax regis multiplex est: illa enim data manu sua, quam Angli vocant *cynninger bonde sealde grith*: alia, die quo primum coronatus est, quæ dies tenet octo: in natali Domini, dies octo: in paschate, dies octo: in pentecoste, dies octo, &c. *Infra*. Mambote vero (id est compensatio domino persoluenda pro homine suo occiso) Anglorum legi, regi, & archiepiscopo, tres marcas de hominibus eorum propriis: sed episcopo eiusdem comitatus, & consuli, & dapifero regis, viginti solidos, baronibus autem aliis, decem solidos, &c.

XIII.

Thesauri de terra regis sunt, nisi in ecclesia vel in coemeterio inueniantur: & licet ibi inueniatur, aurum regis

est, & medietas argenti, & medietas ecclesiae vbi inuen-
tum fuerit, quæcumque ipsa fuerit, vel diues, vel pauper.

XIV.

Rex autem qui vicarius summi regis est, ad hoc est
constitutus, ut regnum terrenum, & populum Domini,
& super omnia sanctam veneretur ecclesiam eius, & re-
gat, & ab iniuriosis defendat, & maleficos ab ea euellat
& destruat, & penitus disperdat: quod nisi fecerit, nec
nomen regis in eo constabit; verum, testante papa Ioan-
ne, nomen regis perdit. Cui Pippinus & Carolus filius
eius* necdum reges, sed principes, sub rege Francorum
stulto scripserunt, quærentes si ita permanere deberent
Francorum reges solo regio nomine contenti. A quo
responsum est: Illos decet vocari reges, qui vigilanter
defendunt & regunt ecclesiam Dei, & populum eius,
imitati regem Psalmographum dicentem: *Non habitabit psal. 100.
in medio domus meæ qui facit superbiam*, &c.

XV.

Archiepiscopi, episcopi, comites, barones, & omnes
qui habent sacham, & socam, thol, team & infangthefe,
etiam milites suos & proprios seruientes, scilicet dapife-
ros, pincernas, camerarios, coquos, pistores, sub suo fri-
borgo habeant. Et item isti suos armigeros, vel alios fi-
bi seruientes sub suo friborgo. Quod si cui forisfacerent,
& clamor vicinorum de eis assurgeret, ipsi tenerent eos
rectitudini in curia sua: illi dico qui haberent sacham, &
socam, thol, & theam, & infangthefe.

XVI.

Sacha est, quod si quilibet aliquem nominatim de ali-
quo calumniatus fuerit, & ille negauerit, forisfactura
probationis vel negationis, si euenerit, sua erit.

XVII.

Socha est, quod si aliquis querit aliquid in terra sua,
etiam furtum, sua est iustitia, si inuentum fuerit, an non.

XVIII.

Thol (quod nos dicimus telonium) est, scilicet quod
habeat libertatem vendendi & emendi in terra sua.

XIX.

Theam, quod si quispiam aliquid interciet super ali-
quem, & interciatus non poterit vvarrantu suum habere,

Concil. Tom. 25.

V u u ij

Que pra-
terea se-
quuntur
apud Lam-
bardum in
hoc capite
de officio
regis, & de
iure & ap-
penditii
coronæ re-
gni Britan-
nia, cum
epistola
Eleutherii
pape ad
Lucium re-
gem, non
habentur
aut in no-
stro manu-
scripto aut
in Hovede-
no.

erit forisfactura sua, & iustitia similiter de calumniatore, si defecerit.

XX.

Omnis enim qui habet sacha & socha, tol & them, & infangdthefe, prædictas videlicet consuetudines, iustitia cognoscentis latronis sua est, de homine suo, si captus fuerit super terram suam. Illi vero qui non habent has consuetudines, coram iustitia regia rectum faciant in hundredis, vel in vvapentachiis, vel in scyris.

XXI.

Sciendum quoque quod omnes Iudæi, vbi cumque in regno sunt sub turela & defensione regis, ligea debent esse, nec quilibet eorum alicui diuti se potest subdere sine regis licentia. Iudæi enim & omnia sua regis sunt. Quod si quispiam detinuerit eos, vel pecuniam eorum, perquirat rex, si vult, tamquam suum proprium.

XXII.

Vsurarios quoque defendit rex Edvardus, ne remaneret aliquis in toto regno suo. Et si quis inde coniunctus esset quod fenus exigeret, omni substantia propria careret, & postea pro exlege haberetur. Hoc autem afferebat ille rex se audisse in curia regis Francorum, dum ibidem moraretur, quod vsura summa radix omnium vitiorum est.

LEGES ALIÆ EDVVARDI REGIS
NORTMANNICO IDIOMATE CONSCRIPTÆ.

TITVLI LE GVM ECCLESIASTICARVM.

- | | |
|--|--|
| I. <i>De pace sanctæ ecclesiæ, & asyli iure eidem concessio-</i> | III. <i>De denario sancti Petri (seu Romescot) pendendo.</i> |
| II. <i>De eo qui monasterium, seu ecclesiam, vel domum frege-</i> | IV. <i>De renuentibus sancti Petri denarium pendere.</i> |
| <i>rit.</i> | V. <i>De intestatorum bonis.</i> |

P R A E F A T I O.

Ces sont les leis & les coutumes que le reis Vviliam grauntat à tut le puple de Engleterre, apres le con-

Hæ sunt leges & consuetudines quas Vvilielmus rex concessit uniuerso populo Angliae, post terræ acquisitionem:

ipse scilicet eadem quas rex Edwardus consanguineus eius ante ipsum custodivit.

quest de la terre: iceles meimes que le reis Eduward son cosin tint devant lui.

LEGES ECCLESIASTICÆ.

I.

Intelligendum est: Pax sanctæ ecclesiæ de quocumque reatu quis hoc tempore sit culpabilis, & venire potest ad sanctam ecclesiam, pacem habeat vitæ & membra. Et si quis manum ei iniicerit, qui matrem ecclesiam quaesierit, sive episcopi fuerit, (ecclesia) sive abbatiæ, sive ecclesia religionis, restituat quod abstulerit, & multæ nomine centum solidos, matrici etiam ecclesiæ parochiali viginti solidos, & capellæ decem solidos. Et qui pacem regiam violauerit, centum solidis emendet lege Merciorum, similiter de heinfare, & de insidiis præcogitatis.

II.

Et si quis appellatus fuerit de fractione monasterii [sive ecclesiæ] vel cubiculi, nec fuerit retro defamatus, ipse abneget cum xii. legalibus hominibus, quos vocant, duodecima sua manu; & si alia vice increpatus fuerit, tunc hoc neget triplicato numero, videlicet xxxvi. legalibus hominibus, quos vocant, tricesima sexta sua manu: & si hos habere nequierit, eat à la[†] iuise triplicatum, sicut debuit ad triplicatum sacramentum: & si alias de latrocinio composuerit, eat ad [iudicium]

Ceo est à sauoir: Pais à saint Yglise , de quel forfait que home out fait on cel tens , e il pout venir à saint Yglise out pais de vie & de membre. E se quelques meist main en celui qui la mere Yglise requireit, se ceo fust v euese que , v abbeie, v Yglise de religion , rendist ceo que il iauereit pris , e cent sols de forfait , e de mer Yglise de paroisse xx. solz. e de chapelle x. solz. e que enfraient la pais le rei en Merchene lae , cent solz les amendes, altres de heinfare , e de avveit purpensed.

II.

*Et si quelques est apelez de muster fruissier, v de chambre, e il neit ested blamed enarer, sen escondit per xii. leals homes nomez sei dudzime mein , e fil est alre fieu ested blamed, sen escondied a treis dubles , ceo à sauoir, per * xlviij. homes leals, no- *xxxvi. mez sei trentefiste mein: e fil auer nes pot aut à la iuise à treis dubles si coil doust à treis * du blein ferment, e fil *l. dublein, ad enarer' larcin amended alt al evv, li arceuesque aue-*

Vuu iii

[†] Examini
nis ge-
nus : fed
hac per
coniecu-
tam.

rad de forfaiture xl. solz en
Merchenlae , e li euesques
xx. solz, e li quenz xx. solz,
e le baron x. solz, e li vilain
xl. denir.

*aqua. Archiepiscopus habebit
de forisfactura xl. solidos in
Merciorum lege, & episcopus
xx. solidos, & comes xx. soli-
dos, & baro x. solidos, & vil-
lani xl. denarios.*

III.

Franc home qui ad auer
champestre xxx.deniers vai-
launt , deit doner le dener
seint Pere. le seignur pur iiiii.
den. que il dourad , si erunt
quites ses bordiers, e ses bo-
ner, & fesserianz. Liburgeis
qui ad en son propre chatel
demi marc vailant , deit do-
ner le dener seint Pere. Qui
en Denelae francz home est,
e il auerad demi marc en ar-
gent vailant de ueir cham-
pestre, si deurad doner le de-
ner seint Pere : e par le dener
qui li seignur durrat, si erent
quites ceals qui meinent en
son demaine.

IV.

Qui renent le dener saint
Pere , le dener rendra per la
iustice de seint Yglise, e xxx.
den. forfait. e si il en est plai-
de de la iustice le rei, le for-
fait al euesque xxx. den. e al
rei xl. solz.

V.

Si home mort sans deui-
se, si departent les enfans l'e-
rite entre sei per uvvell.

*Liber homo qui habuerit 30.
denariorum valorem in aueris
campestribus , debet dare sancti
Petri denarium. Pro iiiii. dena-
riis quos dominus dederit, quieti
erunt bordarii sui , etiam bo-
nerii & seruientes sui. Burgeniss
qui in propriis suis bonis valo-
rem possidet dimidiæ marcæ,
tenetur dare sancti Petri dena-
rium. Qui Danorum lege liber
est, & in campestribus animali-
bus valere aestimatur dimidiæ
marcam argenti, tenetur dare san-
cti Petri denarium: & per dena-
rium quem dominus dederit,
quieti erunt qui in suo degunt
dominico.*

IV.

*Qui negauerit denarium san-
cti Petri, eum reddat per iusti-
tiam sanctæ ecclesiae, & multæ
nomine xxx. den. & si inde in
ius vocatus fuerit a iustitia regis,
episcopo luat xxx. denariis, &
regi xl. solidis.*

V.

*Si quis intestatus obierit, liberi
eius hereditatem æqualiter di-
uidant.*